R Theol B

DISSERTATIO PRIOR INAUGURALIS DOGMATICO - CANONICA DE EO, QUOD CIRCA LIBERTATEM IN NEGOTIO RELIGIONIS EX LEGE DIVINA JUSTUM EST,

QUAM

AUSPICE DEO TER - OPT. MAX.

IN

ALMA JULIO - DUCALI WIRCEBURG. UNIVERSITATE
ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO

PRÆSIDE

PLURIMUM REVERENDO, MAGNIFICO, EXIMIO, CLARISS. ET CONSULTISS. VIRO AC DOMIMO,

D. JOANNE CASPARO BARTHEL

Ss. Theol. et U. J. Doctore, Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ ad utrumque S. Joannem in Haugis Decano, Reverendiſſ. & Celſiſſimi Epiſcopi et Principis Bamberg. et Wirceburg. Franciæ Orientalis Ducis Conſiliario Intimo et Eccleſiaſtico, Studii Univerſalis in Alma Wirceburgenſium Univerſitate Pro-Cancellario, Facultatis Juridicæ ac totius Univerſitatis Seniore, Ibidémque Ss. Canonum Profeſſore Publico et Ordinario.

TRIBUS RIGOROSIS EXAMINIBUS RITE TENTATUS ET APPROBATUS
PRO SUPREMA DOCTORATUS IN UTROQUE JURE LAUREA
PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBJICIT

JOANNES NEPOMUCENUS ENDRES,

Groſsbardorffenſis, Ss. Theol. Baccal. Bibl. et Form. ac Juris Utriusque Emeritus, Reverend. et Celſiſſ. Principis Alumnus Presbyter & Beneficiatus.

In Auditorio Juridico horis ante et poſt meridiem conſuetis, Die Auguſti

1758.

TYPIS Viduæ Joannis Jacobi Chriſtophori Kleyer, Univ. Typogr.
Per Wolffgang. Chriſtoph. Kohles, p. t. Factor.

13450 A
16/6/91

Bibl: Unio:

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
SACRI ROMANI IMPERII
PRINCIPI
AC
DOMINO DOMINO
ADAMO
FRIDERICO
DEI GRATIA
EPISCOPO
BAMBERGENSI
ET
WIRCEBURGENSI
FRANCIÆ ORIENTALIS
DUCI
&c. &c.

ECCLESIÆ

FULCRO

EPISCOPORUM

GRANDI DECORI

IMPERII

COLUMNÆ

PRINCIPUM

GLORIÆ

MAGNI FRIDERICI CAROLI

AVUNCULI

IN

UTRAQUE CATHEDRA

MAGNO SUCCESSORI

SPIRITUS PRINCIPALIS
CONFIRMATO HÆREDI
PASTORALIUM VIRTUTUM
VERO ÆMULATORI
LIBERTATIS GERMANICÆ
CUSTODI ET VINDICI
UNITATIS CATHOLICÆ
PROTECTORI
LENITATIS APOSTOLICÆ
IN
FRATRES DISSENTIENTES
PROTOTYPO
PIETATIS SOLIDÆ
EXEMPLO

FRANCONICÆ GENTIS
DELICIIS
PATRIÆ
PATRI OPTIMO
UNIVERSITATIS
REFORMATORI
LITERARUM ET LITERATORUM
PROMOTORI
AC
MÆCENATUM
PRINCIPI
DOMINO, DOMINO SUO CLEMENTISSIMO

Tenues háſce pagellas Tanto Patrocinio feliciſſimas

in

perpetuum gratæ mentis Anathema humillimè

D. D. C.

Se, ſuam ſubjectionem, reverentiam, quoad ſpiraverit, ſubmiſſiſſimè devovens

REVERENDISSIMÆ
ET
CLEMENTISSIMÆ
CELSITUDINIS SUÆ

Subjectiſſimus
Joannes Nepomucenus Endres.

CAPUT I.

Generalis idearum humani intellectûs circa Religionem quamcunque libertas non datur.

CAPUT II.

Via dubitationis ab inquiſitione veræ Religionis haud prorſus aliena aſſeritur.

CAPUT III.

Religio vera non ex rationibus intrinſecis demonſtrari, ſed ex motivis extrinſecis evidentibus, vulgò motivis credibilitatis, oſtendi poteſt, & debet.

CAPUT IV.

Religio Chriſtiana ex evidentibus argumentis & ſignis credibilitatis ſatìs demonſtratur.

CAPUT V.

Nec Religio Chriſtiana in tanta Sectarum inter Chriſtianos diverſitate ideas fidei liberas admittit.

CAPUT VI.

Concordia externæ profeſſionis & cultûs cum internis de unica vera Religione conceptis ideis neceſſaria oſtenditur.

CAPUT VII.

Perſpectâ Sacræ Scripturæ obſcuritate, humanæ

Rationis infirmitate, ac Spiritûs privati incertitudine, Eccleſiæ â Chriſto conſtitutæ, & authoritatis in eadem publicæ, convenientia & neceſſitas deducitur.

CAPUT VIII.

Sola Eccleſia Catholica veluti Divinitus inſtituta characteribus externis perſpicuis â reliquis Chriſtianorum cœtibus diſcernitur.

CAPUT IX.

Authoritas in rebus fidei non tantùm judicandi, ſed & imperandi, citra injuriam Libertatis humanæ rationis, Eccleſiæ conceſſa aſſeritur.

CAPUT X.

Eadem Eccleſiæ Authoritas Libertatem agendorum, & rationem Chriſtianam moralem, ſecundùm principia revelata, neceſſariò admoderatur, & tutò regit.

CAPUT XI.

Vaga Conſcientiæ Libertas ſalutarium pœnarum, utì & præmiorum, frœno juſtè continetur.

CAPUT XII.

De Tolerantia diverſarum Religionum, & ejus effectibus concluditur.

PRÆFATIO.

DUlce *Libertatis* nomen eſt, res ipſa verò hoc nomine ſignificata multò gratior omnibus hominibus, magísque expetita. Cujus cùm pro diverſitate objecti variæ ſint ſpecies, hìc ſola attingitur libertas circa negotium Religionis, quâ quidlibet credere, ſentire, profiteri, docere & exercere circa ea, quæ ad agnitionem & cultum Dei, ad fidem mentium & actionum pietatem pertinent, integrum ſit cuique & liberum. Unde duplex ea libertas diſtingui ſolet: ſcilicet *Libertas Conſcientiæ & Libertas Exercitii. Libertatis Conſcientiæ* nomine indigitatur libera

facultas, quod cuicunque circa Religionem benè viſum fuerit, corde credendi & ore confitendi, & huic propriam ſuam Deum colendi rationem conformandi. *Exercitii* verò *Libertas* etiam facultatem ſuperaddit eandem Deum colendi rationem aliis & cum aliis vel publicè vel privatim communicandi. Utraque porrò duplicem habet reſpectum: Unum ad forum internum ſive Poli, quatenus ſcilicet ſine læſione conſcientiæ, id eſt, ſine injuria & offenſa Dei, reatúque peccati & pœnæ æternæ teneri, aſſeri, indulgeri aut concedi poſſit. Alterum ad forum ſive politiam exteriorem, quatenus effectus forenſes, judicialem deſuper ordinationem, pragmaticam ſuî approbationem, ſecuritatem & immunitatem â pœnis queiscunque temporalibus importat, quibus interdum Religiones aliæ â publicè recepta ac probata diverſæ prohiberi ac coërceri ſolent.

Secundùm poſteriorem hunc reſpectum utramque Libertatem maximè legibus Imperii Pragmaticis accommodam exhibebit diſſertatio altera; Hæc verò veluti præambula & cum altera multùm connectens eandem priori reſpectu conſideratam, examinatam inſimul ſecundùm rationem Juris, ſiſtit & concludit.

CAPUT I.

Generalis idearum humani Intellectûs circa Religionem quamcunque libertas non datur.

SUMMARIA.

I. *Religionis deſcriptio ac definitio.*
II. *Cultum Dei exigit infinita ejus perfectio;*
III. *Sed nonniſi Deo gratum;*
IV. *Adeóque & determinatum ab eodem eſſe, neceſſum eſt.*
V. & VI. *Qui Lumine Naturali non cognoſcitur;*
VII. *Cujus infirmitatem experientia teſtatur.*
VIII. *Ei ſuccurrendum â Divinâ providentiâ fuerat.*
IX. *Inde revelationis neceſſitas colligitur & conſenſu populorum omnium confirmatur.*

X. *Ejuſdem revelationis natura & indoles*
XI. *Liberas circa fidem & Religionem ideas eſſe non poſſe, commonſtrat.*
XII. *Argumenta quæpiam, ùt ajunt, ad hominem hactenus dictis in ſpeciem contraria expediuntur.*
XIII. *Revelatio eſt extrinſeca, rationi tamen humanæ debet eſſe cognoſcibilis.*
XIV. *Unde generica quædam unius tantùm Religionis veræ idea ſingulis hominibus ingenita aſſeritur.*

Religio, quâ ſecundùm Etymologiam nominis homo arctiſſimo ſubjectionis ac dependentiæ vinculo Deo religatum ſeſe agnoſcit ac profitetur, in duobus conſiſtit, tum in cognitione veri Dei, ejusque myſteriorum, tum in ejus cultu: Atque indigitat certam Deum colendi rationem, normam & modum, quo homo & debitum gratúmque Deo partim intellectûs, partim voluntatis obſequium præſtet, & æternam, ad quam conditus eſt, felicitatem conſequatur. Ac meritò propter eà præeunte Apoſtolo ſub initium Epiſtolæ ad Titum compellatur: *Agnitio veritatis, quæ eſt ſecundùm pietatem ad ſpem vitæ æternæ.*

II. Deum quippe, quem tanquam Ens perfectiſſimum & immenſum, noſtrî ac rerum omnium Conditorem, earumque ſupremum Moderatorem, & Arbitrum cognoſcimus, honorandum atque colendum, eidémque obe-

obediendum â nobis eſſe, ſolâ etiam rationis luce ſatìs inſtruimur. Ex eo enim, quòd Deus infinitæ perfectionis & ſapientiæ creaverit hominem ad finem ſe dignum, ſeipſum videlicet, dubium nullum eſt, quin homo obligatus ſit ad proſequendum finem illum, cui deſtinatus eſt, utendo ratione ſibi conceſsâ ad ſerviendum Deo & ad totum id, quod eſt, quod poteſt & quod habet, ejus obſequio & cultui mancipandum per actus agnitionis, adorationis, humilitatis, reverentiæ, timoris, admirationis, gratitudinis, confidentiæ, obedientiæ & amoris, cœterarúmque virtutum, qui omnes unico Religionis vocabulo comprehenduntur.

III. Sed infinita hæc Dei perfectio ac æterna, quâ in ſeipſo ſibi ſolus ſufficit, beatitudo cultu noſtro impenſo nec augeri poteſt, nec eo ſubtracto imminui, atque ipſe bonorum noſtrorum non indiget; at noſtra potiùs beatitudo ac felicitas ex illa Deum colendi ratione pendet, quæ tamen beatitudo utpote cœleſtis & omni naturâ longiſſimo intervallo ſuperior Naturæ nullâ ratione debita eſt, ſed â ſolo Deo conferri poteſt, & nonniſi ùt merces exhibiti ſibi cultûs adultis ſolet conferri; ut propterea cultus ejusmodi qualiscunque gratus illi eſſe nequeat, niſi talis ſit, quem ipſemet vult, & â nobis exigit.

IV. Ex quo conſequitur, normam illam Deum colendi ab ipſa voluntate Divina homini manifeſtata proficiſci debere, quò & illa Deo grata ſit, & nos Deo gratos acceptóſque efficiat, atque ad finem noſtrum ultimum perducat.

V. Equidem ſicut Deus jam inde ab æterno ideas ſuas æternas circa regimen & gubernationem univerſi ac præſertim creaturæ rationalis habuit, ſecundùm quas hæc quondam in tempore condita ad ipſum tanquam finem ultimum dirigeretur; ità & infinita ejus providentia & bonitas in ipſa creatione easdem ideas eidem creaturæ rationali veluti ad imaginem ſuam conditæ communicavit, ac impreſſit, per quas non tantùm eundem velut Authorem ſuum & finem ultimum agnoſceret, verùm etiam eo, quo vult, modo amandum, metuendum & colendum eſſe intelligeret.

VI. Veruntamen certum illum colendi modum, quo velit coli Deus, nec ipſæ hæ ideæ hominibus divinitùs participatæ & omnibus communes determinârunt, cùm â voluntate Dei liberâ unicè pendeat, & ipſi ex innumeris poſſibilibus, quorum quolibet decenter coli ejus ſuprema Majeſtas, atque ad beatitudinem ſibi conſtitutam homo perduci potuiſſet, unum eligere liberum fuerit; Ac vel ſola illa, quam mundus ſemper in ſe diſciſſus conſpexit, innumerabilis Religionum diverſitas ac varietas luculenter teſtatur, quæ omnes ſibi invicem, pleræque etiam ipſi ſanæ rationi è diametro oppoſitæ, atque aut Deo aut homine indignæ ſunt & fuerunt.

VII. Neque enim, attentis híſce intellectûs humani anguſtiis, attentâ judiciorum ac conſiliorum Divinorum profunditate, conſideratâ myſteriorum, ad quæ per actus Religionis fieri poſſet & requiri alluſio, multitudine, ac poſſibilitate, ſpectatâ immensâ opinionum in re-

bus

bus Deum & Religionem concernentibus varietate, potuit facilè Deus hunc cultûs ſui modum & ritum ſoli rationi humanæ relinquere, ne vagus ejusmodi & quodlibeticus cultus in omne genus ſuperſtitionis Deo indignæ, ac in vanam fanaticámque rituum inutilium ac ſæpè turpium obſervantiam degeneraret, quos ratio humana infirma, & obſcurata per peccatum & pravos affectus adinveniret, imò & adinvenit; cùm vix excogitari poſſit delirium ullum, quod populus aliquis non adoptârit, atque in ſuam Religionem invexerit, quid? quòd non rudis tantùm populus, ſed & ſapientiſſimi atque omnium diſciplinarum peritiſſimi Philoſophi, quorum Divina ingenia & ſcientiarum quarumcunque apparatum invida demirabatur poſteritas, & noſtra hodiedum æmulatur, vix aſſequitur ætas, in tot abſurdas & impias opiniones, atque ex his in teterrima ſcelera miſeriásque devoluti.

VIII. Huic igitur infirmitati ut ſuccurreretur, providæ ſupremi Numinis ſapientiæ œconomia exigebat; nec prudenter egiſſet providus ille Rector univerſi, ſi hoc negotium omnium negotiorum ſummum humano ingenio tam imbecilli reliquiſſet. Certè nemo Regum mortalium adeò Majeſtatis ſuæ, negotiorum ſtatûs, gloriæ, ac honoris ſibi â ſubditis debiti incurius facilè reperietur, qui militem ærariumque ſuum & obſequium ſibi â ſubditis præſtandum libero ſingulorum arbitrio & critirio relinquat, & ab eorum voluntate ac diſcretione in recipiendis juribus ſuis honorificis pendere velit; Et quomodo demùm de infinita Dei ſapientia cogitari illud poterit, quòd nec de homine mortali dicere quis auderet?

IX. In-

IX. Inde neceſſariò omninò conſequitur, revelari a Deo debuiſſe, & mediis etiam extrinſecis homini intimari ſpecialem quendam ſuî colendi modum, quo infirma hominis ratio, quæ colendum illum eſſe, ex impreſſis ſibi Divinis ideis agnoſcit, ab exorbitante in quascunque abſurdas & fanaticas ſuperſtitiones libertate ad unum cultum Deo gratum, ejúsque ſupremâ majeſtate dignum reduceretur: Quos enim Dei omnipotentia ad ſuî cultum & obſequium condidit, eos ejusdem providentia haud deſtituit in ſuppeditandis iis mediis, quibus ad hunc finem, & ad ſuam felicitatem perduceretur. Nec in dubium adduci hæc revelationis neceſſitas prudenter poteſt, utpote certâ & univerſali hominum perſuaſione, & communi omnium populorum, omniúmque temporum conſenſu probata; cùm omnes homines & populi etiam maximè quoad Religionem inter ſe diſſentientes in eo tamen conſenſerint, quòd ſuam ſinguli Religionem â Deo vel Diis ſuis revelatam & præceptam venditârint: Nam, ùt *Cicero* ait *Lib. 1. de Nat. Deor.*, de quo omnium natura conſentit, id verum eſſe, neceſſe eſt.

X. Ex ſola ſcilicèt revelatione hâc Dei voluntatem homo ediſcere poterit, & quis cultus Deo gratus acceptúsque ſit, edoctus intelligere; quare & eandem revelationem Deo aſſerenti credere non tantùm firmiſſimè & abſque omni erroris formidine tenetur, ſed inſuper eidem voluntati Divinæ certum cultum præſcribenti imperantíque exactè obediendum, eáque colendi ratio ſubſtantialis, quam Deo gratam intellectu agnovit, volun-

tate

tate eſt exequenda, ut utrâque potentiâ ſupremum Deo obſequium tam internum fide, ſpe, & amore, quàm externum ejusdem fidei profeſſione & mandatorum illorum Divinorum obſervantiâ præſtet.

XI. Suppoſitâ igitur, imò probatâ hactenus revelationis Divinæ neceſſitate, exiſtentiâ atque indole ſive naturâ, ideæ circà Religionem generatim & quamcunque liberæ eſſe non poſſunt. Sed ea neceſſariò amplectenda eſt, quam Deo gratam, ab eóque imperatam intellexerimus. Injuria enim Deo fieret, ſi aut ejus revelationi homini ſatìs manifeſtatæ fides ac mentis aſſenſus, aut mandatis obedientia detrectaretur. Inanis prorſus, eluſoria ac nulla redderetur Divina illa revelatio atque voluntas, ſi cuilibet liberum ac integrum permitteret, aliam quamcunque Religionem ab illa unica Divinitus imperatâ ac determinatâ quàm maximè diverſam ſequi.

XII. Deus quidem finis omnium ultimus eſt & centrum, ad quem omnes tendunt, ſed unicâ tantùm viâ, id eſt, unicâ tantùm ſubſtantiali illum colendi ratione & normâ eò pervenire poſſunt, cùm reliquæ omnes huic repugnantes nec â Deo revelatæ, adeóque nec ipſi gratæ eſſe queant. Et ſi creaturarum, metallorum, florum, herbarum, animalium, hominum & linguarum varietas infinitam Dei commendat ac deprædicat potentiam; Religionum plurium econtrà diverſitas æternam Dei deſtrueret veracitatem, Sapientiam & Providentiam, ſi omnes illas in ſubſtantiali colendi Deum ratione longiſſimè diſcrepantes & ſibi contradicentes, quarum una permittit,

præcipit, laudat, ac præmiat, quod altera vetat, damnat & punit, æqualiter â Deo revelatas, æquè illi gratas & ad finem ultimum perducentes ac ſufficientes tenere & aſſerere liceret. Si denique glorioſum eſt Monarchæ cuipiam multis jura dicere Nationibus, etſi moribus hæ ac inſtitutis diſcrepent, ùt Soldanus Henrico XII. Bavariæ Duci reſpondiſſe fertur in *Annalibus Bojicis parte 1. c. 22. num. 39.* Injurioſum potiùs futurum eſt Deo, ſi variis colatur Religionibus, quæ & dogmata & ritus ſubſtantiales ab iis, quos ipſe revelavit & præcepit, diverſos habeant. Nam etſi mores & inſtituta populorum pugnent inter ſe, non tamen pugnant cum eo, quod ſibi propoſitum habet Princeps, ſed parata ſunt cedere & demiſsè venerari leges illas ac imperia, quæ is inde â principio tanquam baſes Monarchiæ ſuæ tulerit, ſic, ut his nullæ Leges, nullæ conſuetudines Municipales unquam prævaleant. Atque hoc ipſum vel Deo glorioſum foret, ſi, proùt oportet, fieret, & illa diverſitas tantùm conſiſteret in cæremoniis decentibus adhuc Majeſtatem Divinam, ab eóque non prohibitis, aut illi cultûs ſui rationi ab eo revelatæ non repugnantibus. Lex fundamentalis providentiæ Divinæ, ſecundùm quam creaturam rationalem ad ſuum finem, æternam ſcilicèt ac ſupernaturalem felicitatem dirigit, ipſamet eſt Religio Divinitùs revelata, quæ unica eſſe poteſt; reliquæ verò omnes non tantùm inter ſe, ſed cum hâc ipſa Lege fundamentali Supremæ Majeſtatis Divinæ pugnant: Quis idcircò miretur, ſi has Deus ùt læſæ Majeſtatis ſuæ reas damnet, perinde ac Monarcha quilibet damnaret ſuperbos illos populos, quos videret eo turgere faſtu & arrogantiâ, ut

priva-

privatas ſuas & arbitrarias Leges ac conſuetudines Imperatoriis Edictis & Pragmaticis Decretis præhabere non vererentur.

XIII. Cùm denique liberrimum hunc ſuî cultum & obſequium hominis erga ſe eſſe voluerit, ut ab indole & natura obſequii non deficeret, atque homini per Religionem Deum ſibi devinciendi copia fieret; noluit, proùt potuiſſet, ſingulis hominibus, quibus ejusdem Naturæ Corpora & animas dedit, unam eandémque Religionem, aut easdem circa illam ſpecialem revelatam ideas modósve immediatè inſpirare ac ingenerare; ſed pro altiſſimo & imperſcrutabili ejusdem ſuæ providentiæ conſilio mediis tantùm extrinſecis illam revelandam, nec tamen ſingulis per ſemetipſum prodigioſo ſive extraordinario quodam modo ejus revelationem communicandam duxit. Nihilominùs una ex parte univerſalia quædam ſemina Veri & Boni rationi humanæ inſeruit, ex quibus, ſi animum applicaret ad cogitandum de Religione vera, cognoſceret verum cultum Deo conformiter ad ejus imperſcrutabilia judicia præſtabilita acceptum, nonniſi ab ipſo Deo doceri potuiſſe; & altera ex parte ità Religionem ac revelationem eandem rationi humanæ ſimul conſpicuam reddi debuiſſe, ut omnes eam certò vel notanter veroſimiliùs ſaltem intelligere, eóque pertingere tandem poſſent, quatenus nemini de eadem revelatione facta prudenter dubitandi locus & cauſa ſuperſit. Eo ipſo enim, quòd revelatio illa in homine fidem & obedientiam exigat, & omnes homines obliget ad illum colendi modum recipiendum, ſervandúmque; infinita ejusdem Dei ſapientia boni-

bonitas ac juſtitia, ne ad incognitum & impoſſibile homo obſtringeretur, poſtulabat, ut media fini huic perducendi homines ad unicam illam Religionem revelatam proportionata eligeret, atque adderet; & conſpicuis ejusmodi mediis atque argumentis conſtitutum illum colendi modum, quo coli cupit, â ſe revelatum & præceptum eſſe oſtenderet, quæ ab omnibus facilè per rationem dignoſci poſſent, & ſaltem omne prudens de hâc revelatione Divinitùs factâ dubium excluderent: ſicut & humanus Legislator imprudentiæ meritò argueretur, imò & injuſtitiæ, ſi legem, ad quam ſubditos obligat, ſufficienter non promulgaret, iisque notam faceret.

XV. Ex quibus omnibus ritè concluditur, ſaltem genericam quandam unius veræ Religionis ideam quoad præcipua argumenta characteriſtica hominibus quibuscunque debere eſſe ingenitam; ex cujus applicatione ad Religiones ſingulas vera illa â Deo revelata â falſis aliis dignoſci aut inveniri poſſit; Illos verò omnes vincibilis & craſſæ ignorantiæ reos & â Deo juſtiſſimè puniendos eſſe, qui Religioni qualicunque, quæ genericæ illi Religionis ideæ omnibus congenitæ non convenit, ſine inveſtigatione melioris & eidem ideæ magìs conſentaneæ adhæreant.

CAP. II.

CAPUT II.

Via dubitationis ab inquiſitione veræ Religionis haud prorſus aliena aſſeritur.

SUMMARIA.

I. *Tranſitio ad præſens Caput.*
II. *Homo naturali veritatis intelligendæ ſtudio fertur,*
III. *Magìs earum, quæ ad agnitionem & cultum Dei pertinent.*
IV. *Unde via tutiſſima eligenda, quâ ad hanc perveniri poſſit.*
V. *Aperitur triplicis Philoſophiæ, Dogmaticæ, Socraticæ & Scepticæ origo.*
VI. *Approbatur Socratica.*
VII. *Prudentiâ temperanda, ne in Scepſin degeneret.*
VIII. *Dubitatio de Religione illicita videtur, ejusque incommoda recenſentur.*
IX. *At licitam eſſe, experientia ſuadere videtur, & ratio.*
X. *Quousque jura dubitationis ſe extendant in negotio Religionis.*
XI. *Compertâ Divinâ Religionis alicujus authoritate & hominum eam tradentium authoratione nullam dubitationem ulteriorem admittit,*
XII. *Niſi eam, quæ fidem corroborat, & illuſtrat.*

XIII. *Hanc & Chriſtiana Religio non refugit.*
XIV. *Reliquæ Religiones etiam priorem admittunt dubitationem, ſcilicèt dogmatum impugnativam.*
XV. *Æqua conditio Infidelibus quoque offertur.*

VEram itaque Religionem ex Divina tantùm revelatione, quâ altiſſimam ſuam Voluntatem ſupremum Numen homini manifeſtet, deſcendere poſſe, luculenter oſtenſum hactenus videtur, nec ulteriora ejus rei argumenta concors alioquin omnium omninò populorum ac temporum exiſtimatio, quæ univerſaliter fallere non poteſt, aut exigit, aut admittit. Hâc verò ſuppoſitâ revelatione illam Religionem divinitùs revelatam ab omnibus amplectendam eſſe, indoles ipſa revelationis poſtulat, cùm Deo aliquid aſſerenti aſſenſus, & præcipienti obedientia ab omni creaturâ rationali debeatur; quæ ut præſtet homo, debet ipſi generica quædam Religionis veræ idea eſſe impreſſa, ex qua in notitiam illius devenire queat. Unde quænam illa Religio revelata & ideis homini impreſſis convenientior inter tot falſas exiſtat, inquirendi neceſſitatem omnibus ſana ratio imponit, ne Deum, quem coli debere, nec tamen alio, quàm ipſe velit, cultu poſſe, agnoſcit, vel indignâ planè, vel ſaltem ingratâ ipſi ratione honorare præſumat.

II. Veritatis quippe cognitio & amor naturalis homini eſt, cujus luce animus ipſius rationalis illuſtretur, error evitetur, & ignorantia malis pernicioſiſſimis accenſenda, imò reliquorum omnium facilè mater & origo, quâ ad ſortem pecudum abjicitur, expellatur; Et quamvìs abſcondita illa ſæpè ſit ac difficilè inveniatur, ac noſcatur, ex innato tamen ejus aſſequendæ ſtudio facilè ab omnibus appetitur, ac amatur, ùt teſtatur Cicero Lib. I. Tuſcul. Quæſt. *Ineſt*, inquit, *mentibus noſtris inſatiabilis quædam cupiditas veri videndi*; Et Lib. 1. Offic. *Inprimis eſt homini propria Veri inquiſitio atque inveſtigatio.*

III. Nihilominùs cùm nihil ſine ordine aut pulchrum, aut perfectum eſſe poſſit, ſicut in dilectione bonorum, ità etiam inter diverſas veritates ordo conſtitutus eſt, ut delectabilibus utiles, utilibus neceſſariæ præhabeantur; Atque hinc tum præceptis ſuis Deus ipſe conditor, tum Ratio Magiſtra, & Natura nutrix interno quodam impulſu ad eum ordinem in Veritatis inveſtigatione ſervandum quotidie pulſant ac hortantur; ut omnibus aliis earum veritatum inquiſitio & cognitio anteferatur, quibus erudimur in veri Dei Religione, unicâ ad ſalutem & beatam æternitatem viâ, ſcilicèt, quò ſciamus credere, quæ de Deo credenda ſunt, & Deum colere ac amare eo cultu, quem ipſe nobis determinavit ac præſcripſit. Si enim tantum eſt hujus negotium, ut cœtera præ illo negligenda & poſthabenda videantur; dubium non eſt, quin omnem ad illius veritatem aſſequendam convertere debeamus cogitationem & curam, atque adeò ſit enitendum, ut ne, cum totam literis & veritatis inquiſitioni vitam dederimus, id unum adhuc

reſtet

reſtet nobis ediſcendum, quod unicè ſcire juvat, & probè tenere neceſſe eſt, & ſine quo, quidquid ſplendoris, quidquid utilitatis in humanarum diſciplinarum curriculo habetur, inane eſt, & flocci faciendum.

IV. Ex innato hoc & univerſali, quod hominibus ineſt, veritatis aſſequendæ deſiderio, aut jure evitandi erroris aut expellendi, cùm illum incautè induerint, vehementer quoque impelli ſe ſentiunt, ut aliquam eſſe putent ad veritatem viam. Et ſi veram Religionem quærere non tantùm honeſtum ac utile, ſed & neceſſarium eſt, conſequens eſt etiam, ut adhibere liceat ac oporteat rationem quærendi optimam & omnium aptiſſimam, per quam quæſita tutiſſimè inveniatur.

V. Viam ejusmodi faciliùs & ſecuriùs veritatem indagandi opportuniorem nonnulli inter Philoſophos eam exiſtimârunt, quâ â dubitatione inſtituatur iter. Triplicem enim fuiſſe Philoſophiam nemo facilè ignorat: Eam primùm, quæ per rationem plenè ac perſpicuè veritatem cerni poſſe, cenſuit: atque hæc Dogmaticorum dicta fuit; Alteram, quæ deprehensâ Rationis obſcuritate nihil ſe ſcire profeſſa eſt; ſed quoniam obſcuritatem hanc per lucem Rationis agnoſcebat, hoc ipſum duntaxat ſcire ſe dixit, quòd nihil ſciret. Verùm Arceſylas & Pyrrho, perſpectâ eâdem Rationis obſcuritate, nihil ſe ſcire dixerunt, æquè ùt altera; cùm tamen præctereà lucem ipſam Rationis, per quam id perſpexerant, crepeeram ſenſiſſent, adeóque incertam judicarent, ut nihil per eam clarè videri poſſet, ne hoc quidem certò affirmârunt, quòd nihil ſcirent.

VI. At-

VI. Atque altera illa inquirendæ Veritatis ratio, quâ mens humana omnibus anteceptis opinionibus valedicens nulli rei, niſi perſpicuis argumentis probatæ aſſentitur, â Socrate manavit, & ab Academicis, aliísque Philoſophis ſummopere laudata, proximéque præterito ſæculo, â Carteſio potiſſimùm inſtaurata ac temperata nunc utramque recentiorum Philoſophorum paginam implet, quippe quæ ad veritatem inveniendam aut ſaltem ad errorem evitandum non parùm conducens videatur. Nullus enim errandi finis eſſet, nulla veritatis hauriendæ ſpes, niſi in dubium vocentur, & expendantur tot opiniones, rerúmque notiones per cogitationem, aut per ſenſus corporeos in phantaſiam, animúmque noſtrum immiſſæ, & adhibitis ob dubitationem veritatis indagandæ ſubſidiis, (Criteria vocant alii) quibus errores aut perversâ ratiocinatione, aut vi præjudicatæ opinionis, & imperio affectuum in nobis regnantium, aut nimio erga antiquitatem obſequio, nimióve recentiorum temporum amore, aut immodicâ fide habitâ noſtris ſenſibus, Moderatoribus, Majoribus, Hiſtoriis, aliísque vitæ humanæ fallacibus documentis invecti depelluntur, ſollicito examine penſentur, diſcutiantur, & ſecernantur.

VII. Dummodo iſta erroris evitandi expellendíque ſubſidia ad ipſum verum lædendum, rejiciendum & impugnandum abuſu & vitio hominis non convertantur: ne ſcilicet ſub prætextu eliminandi erroris veritas ipſa, aut multum ſaltem veri exſcindatur, quod æquè rectæ rationi repugnat, ac ejusdem inſtitutioni convenit, ab errore ac falſitate ſibi cavere. Neque propterea, quòd

nobis natura dubitandi jus dederit ad falſum declinandum, & verum inveniendum, ideò ſine diſcrimine cuicunque & de quibuscunque rebus dubitare fas eſt. Sicut nimirum certis quibusdam terminis omnia naturæ, imò & Virtutum Jura coërcentur, qui excedi ac violari absque culpa levi aut gravi non poſſunt; ità & dubitandi jura in effrænem audaciam interdum aſſurgentia perpetuò temperet alia comes dubitatio ac timor, neceſſe eſt, ne ſcilicet cum erroribus veritatem ipſam incautè exſcindamus, aut æternùm de omnibus dubitetur, quæ Scepticorum inſania fuerat, & ambitioſis ingeniis maximâ ſuâ infelicitate contingit: ſed omninò præſupponendum eſt, dari quasdam veritates ità certas, de quibus dubitari nullo modo poſſit, utì ſunt prima principia per ſe nota, & res omnium hominum omniúmque temporum conſenſu probatæ aut evidentiſſimæ, quibus & illud accenſendum: certum eſſe, verum & inconcuſſum, quidquid revelat ac narrat prima Veritas Deus. Et quamvìs alia quædam æquè nota aut evidentia non ſunt, doctiſſimorum tamen & integerrimorum Virorum ſuffragio unanimi probatur, circa ea rudes, & imperiti meritò lite, ac anxiâ imò calumniosâ dubietate aut contentiosâ diſceptatione abſtinendum ſibi ſciant.

VIII. His veritatibus, de quibus dubitare nefas ſit, pii quidam homines & graves accenſent Religionem, atque ità ſentiunt, nihil Religioni tam contrarium eſſe, quàm ejus veritatem in dubium vocare, firmámque ei fidem detrectare. Hanc enim ſi in dubitationem adducere, atque animum in hac non credendi & detrectan-

dæ

dæ fidei palæſtrâ exercere fas eſt, quomodo ſtabit fides ſupremo Dei aſſerentis ac revelantis Religionem Magiſterio debita? Et certè jam fidem perdidiſſe videtur, qui dubitare cœpit, num falſa credat, an vera? atque idcircò, ùt *in cap. 1. de Hæreticis* habetur, dubius in fide infidelis eſt. Admiſſis dubitationibus expendendæ erunt cauſæ dubitandi, atque ità arbitrio ſuo Religionem ac fidem, & cum hâc æternam Dei veritatem ſubmittet ratio infirma ac debilis, quod eſt Majeſtatem Religionis ac fidei violare. Inde dubitandi artem Religioni ac fidei capeſſendæ utilem dicere, perinde eſſe cenſent, ùt ſi dicas ad credendum utile eſſe, non credere: ac inſuper illud plurimis periculis eſſe obnoxium, ſic enim infirmitate mentis humanæ contingere poſſe, ut qui de Religione dubitare cœpit, dubitare in poſterum non deſinat, aut etiam judicio deceptus, & cupiditate in transverſum actus ad falſæ Religionis caſtra deficiat. Rationi ſiquidem feroci atque admodùm curioſæ ſive etiam infirmæ nunquam ſatìs foret; neque ulla gens tam diſcordiarum ferax eſſe dignoſcatur, quàm quæ enixam dat operam Criticæ, & de omnibus dubitat, nihilque credendum, ſentiendum, aut affirmandum ducit, niſi quod eſt evidenter probatum. Unde ſiquis animum ità obduratum deinde & obfirmatum ad veram Religionem appulerit, futurum ajunt, ut reſpuat ſalubres ſanctiſſimæ doctrinæ ſatus, & ſic fœcundum quantumvìs ac ferax ſemen tanquam in lapideo agro ſparſum exareſcat. Atque id toto opere adverſus Academicos ſanctus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus videtur demonſtrâſſe. Quid? quod ne â Deo quidem petere licet, ut doceat nos, an Religio, quam ſuſcepimus, vera &

retinenda ſit : adeò ſeverè ac præcisè Rationi interdicta eſt omnis adversùs Religionem dubitatio.

IX. At verò cùm errore capi, ac detineri in re tanta homo poſſit, imò cùm ſatìs conſtet, innumerabilem hominum multitudinem erràſſe, ac errare etiamnum in amplectenda Religione ; dubitari non poſſe aliis videtur, quin non honeſtum duntaxat, ſed & neceſſarium ſit de ſuæ Religionis veritate ſibi aliquam dubitationem movere; ſecùs enim falſarum Religionum aſſeclæ ſe revocare, aut per alios revocari nunquam poterunt â perverſa opinione, inolitóque errore, ſi dubitationis jure uti, hoc in negotio piaculum exiſtimetur. Minùs illam reſpuere vera Religio videtur, cujus tam firma debeat eſſe veritas, ut nec ipſâ dubitatione, ac animi in utramque partem ſecum diſceptantis contradictione everti poſſit, ſed fortiùs confirmari debeat; Erroris eſt lucem fugere: & illi dubitationem pavent, qui in errore verſantur, eóque dementiæ devenerunt, ut grave ducant ſe ab erroris ſervitute liberari, & ad regnum veritatis perduci. Unde non immeritò plures inter Orthodoxos Eruditi aſſerunt, Chriſtianismo minùs adverſari, quàm vulgò creditur, eas Philoſophorum Sectas, quæ ſenſuum ac Rationis opem ad percipiendam illicò veritatem intutam eſſe ſciſcunt, quæque ſuſtinent ſe ab omni aſſenſu, ſed à dubitatione veritatis indagationem ordiuntur.

X. Hæc igitur controverſia non ex anteceptis opinionibus vulgi, ſed ex veritate ipſa dirimenda eſt. Hâc inſpectâ & conſultâ, nemo vitio vertere poterit dubitanti de

ti de Religione aliqua, quamdiu illam nondum perſpicit certiſſimis principiis & fundamentis rationis & authoritatis innixam, nec certò à Deo revelatam eſſe cognoſcit. Si aut rectæ rationi è diametro & evidentiſſimè quoad principia ſua tum ſpeculativa, tum maximè practica adverſetur, aut ab hominibus tantùm introducta ſit nullâ miſſione Divinâ authoratis, meritò non tantùm dubitatur de ejus veritate, ſed & falſitatis manifeſtæ argui poterit. Nam etiam Ratio res Dei eſt, ùt ait *Tertull. de pœnit. cap. 1.* Lumen eſt deſcendens â Patre Luminum, ab eóque ſignatum in hominum animis, cui ſi apertè refragatur Religio, à Deo revelata credi non poterit. Religionem autem merè humanâ authoritate inductam non ſufficere, ſuperiùs jam oſtenſum fuit. Si Deum authorem habuit, nulla dubitatio occurrere poterit, quin vera ſit, quamvìs Ratio humana illam plenâ claritate non aſſequatur; ſiquidem Divina authoritas Rationi humanæ obſcuræ ac infirmæ prævalet, ac ab omni fallaciæ ſuſpicione immunis eſt. Hominum tamen eſt falli & fallere, indéque nec eorum authoritati continuò fidendum, cùm voce aut ſcriptis aliquid referunt, ac nuntiant tanquam à Deo revelatum & proditum; tunc enim non in Deum, qui æternùm verax eſt, ſed in hominem, qui facilè vel propter ignorantiam, vel propter improbitatem eſt fallax mendáxve, prudens dubitatio noſtra, atque ſuſpicio convertitur. Denique & illud inquirendum eſt, ac dubitandum, an rectè à nobis intelligantur & exponantur, quæ in Religione hâc divinitùs revelatâ nobis â Deo ſubobſcurè adhuc prodita & præcepta proponuntur.

 XI. Ubi

XI. Ubi verò certiſſimis indiciis cognoſcimus, Religionem illam, quæ nobis tanquam divinitùs revelata traditur, revera talem eſſe, & homines eam tradentes â Divinâ miſſione authoratos eſſe; tum prudentis eſt conquieſcere, nec ulteriùs illa dubitationi exponenda eſt, aut ad examen revocanda. Id tantùm Ratio ſibi tum licere ſciet, excipere id, quod credendum eſt, & explorare argumenta, quæ mentem invitant ad credendum, ea refellere, quæ abſterrent à credendo, & omnia fidei impedimenta removere. Et ſic dubitationes & dubitandi cauſas, quibus fides convelli poſſit, nullas ampliùs Ratio admittet. Id quod de Religione Chriſtianâ fatetur *Tertull. lib. de præſcript. c. 8.* „Nobis curioſitate opus non eſt „poſt Chriſtum Jeſum, nec inquiſitione poſt Evangelium.„

XII. Quanquam non omne dubitationum genus à Religione etiamtum repellendum eſt. Eas omninò non reſpuit, quæ ad ſe confirmandam, ſtabiliendam & illuſtrandam pertinent & ſuſcipiuntur. Qui argumenta dubitandi colligit, vel excogitat hoc animo, ut ea diſſolvat & refellat, Religionis veritatem & integritatem ab Adverſariorum petitionibus & oppugnatione tutam præſtet, is adeò Religione non excidit, ut ſe in eadem potiùs confirmet, aliísque viam ſternat ad eandem, dummodo à ſe certitudinem illam, quam pro Religionis, id eſt, doctrinæ ac Legis à Deo revelatæ veritate antè conceperat, non rejiciat, & inſtrumenta ad rectè judicandum adhibeat.

XIII. Et

XIII. Et quanquam nulla ſit Religio, quæ rectæ Rationi & præſtantiâ, & ſanctitate, & veritate ſe tantùm commendet, quantùm Chriſtiana Religio: nec ipſa tamen temperatam hanc & prudentem dubitationem horret aut rejicit, quâ fit, ut nobiliſſimum fidei donum, quo à Deo per ſacrum baptisma donantur Chriſtiani, vel in ipſa dubitatione ſervetur intactum & Chriſtianæ Religionis veritas magìs eluceat, & fortiùs confirmetur in hominum mentibus. Quemadmodum etiam amplificationem & confirmationem fidei à Deo poſtulare & poſſumus & debemus, exemplo Apoſtolorum Chriſtum ipſum Magiſtrum ſuum rogantium, ut conceſſam ſibi à Deo fidei menſuram adaugeret. Hoc ipſo quippe veram certámque eſſe Religionem ac fidem noſtram, & propterea retinendam firmiter, agnoſcimus. Hujus generis ſunt Philoſophorum Chriſtianorum diſceptationes, qui, quamvìs fidei tenaces ſint, nec in ea ullo modo titubent, de Deo tamen, de natura rerum, de animabus hominum, de harum immortalitate, de finibus bonorum & malorum, aliíſque ejusmodiità differunt, ut nemo illos Religionis fideìque violatæ reos exiſtimet, imò & ſuas & aliorum mentes fidei retinentiores efficiant. Ipſa quoque Concilia Eccleſiæ ſobriam hanc dubitationem confirmandæ Religionis causâ factam non refugiunt, dum Patres in Spiritu ſancto congregati non novas revelationes condunt, ſed per præviam inquiſitionem, discuſſionem, collationem cum aſſiſtentia Spiritûs ſancti, duce Scripturâ & traditione, veritates jam priùs â Deo revelatas definiunt atque determinant.

XIV. At-

XIV. Atque hanc quidem dubitationem unicam & ſolam admittit agnita & ſemel ſuſcepta Religio Chriſtiana, utpote quæ ſola divinitùs revelata eſſe poteſt, & certò cognoſcitur, ùt latiùs oſtenditur ſeq. Cap. Reliquæ verò omnes Sectæ Ethnicorum quorumcunque, ſicut & Mahumedanorum facilè illam etiam dubitationem admittunt, quâ ipſa illarum veritas ſub examen & controverſiam vocatur, cùm vel rectæ rationi evidentiſſimè adverſentur, atque in craſſiſſimis ac intolerandis erroribus verſentur, vel certè authoritate merè humanâ nitantur, nec ullum authoritatis Divinæ infallibilis, quam crepant, teſtimonium & argumentum, aut characterem ullum evidentis & prudéntis credulitatis præſeferant. Judæi denique, utut de divina Religionis ſuæ authoritate ac revelatione omninò ſecuri & tuti, dubitare tamen poſſunt, an non in intelligendis & interpretandis Scripturarum oraculis turpiter cæcutiant: & hanc dubitationem ipſæ Scripturæ iis non tantùm permittunt, ſed & injungunt ac præcipiunt, dum Meſſiæ venturi promiſſio toties repetita juſtam dubitandi anſam præbet, & inquirendi, an non jam advenerit, qui à tot populis easdem ſacras Scripturas unanimi ſuffragio admittentibus, non ex fama temeraria, ſed ingenti rationum ac miraculorum pondere, quæ nec ipſi eorum Majores negare poterant, ſed quidam nobis literis conſignârunt, ac præcipuè ex conſenſu ipſius Legis veteris, jam veniſſe perhibetur.

XV. Quodſi nihiloſeciùs (ne ad impares illos conditiones obligare, & gravia ab ipſis, levia â Chriſtianis petere videamur, ſed æquis rationibus cum illis agamus) illis

illis ex ſuperabundanti permitteremus, ut eundem in finem, iisdem conditionibus de ſua Religione dubitent, queis dubitare Chriſtianis licet, ſcilicet ad confirmandam Religionem ſuam; vel ex hac ſola dubitatione, attentâ cum ſolertiâ & ſinceris animis, ſuſcepta omnes â Chriſto alieni aut mentem victam Evangelio & regno veritatis Chriſtianæ ſubmittent, aut tacitè oſtendent ſe ab una pervicacia, ſeu terrena cupiditate, aliísve parùm honeſtis cauſis in ſervitute erroris ſui detineri. Chriſtianus verò quilibet tunc arctiùs in ſuâ Religione firmabitur atque ad eam contra inimicos tuendam ſemper aptior validiórque efficietur, ac magìs magísque cognoſcet, hoc peculiare ſüæ legis ac Religionis decus & prærogativam eſſe, ut ipſa ſit nedum credibilis ſupra cœteras, ſed una evidenter credibilis & conſentanea æquitati naturæ, atque Rationis; ùt ſequentia Capita fuſiùs tractabunt.

CAPUT III.

Religio vera non ex rationibus intrinſecis demonſtrari, ſed ex motivis extrinſecis evidentibus, vulgò motivis credibilitatis, oſtendi poteſt, & debet.

SUMMARIA.

I. *Tranſitio.*

II. *Ratio in negotio Religionis non planè contemnenda;*

III. *Quæ interdum falſas dignoſcit.*
IV. *An veram invenire poſſit?*
V. *Ratio prævia admittenda.*
VI. *Non tamen demonſtrativa dogmatum, quam olim Manichæi requirebant.*
VII. *Argumenta hanc in rem afferuntur, quæ obſcuritatem Religionis & fidei comprobant: hanc enim exigunt*
(a) *Ipſa fidei indoles & obſequii ratio,*
(b) *Noſtra utilitas,*
(c) *Infinita Dei Majeſtas,*
(d) *Myſteriorum ſublimitas,*
(e) *Demonſtrationum difficultas.*
(f) *Et noſtram demum felicitatem, Divinæque bonitatis dignationem commendat.*
VIII. *Divina tamen providentia debuit,*
IX. *Et voluit extrinſecis argumentis veram Religionem ſuam conſpicuam reddere; S. Auguſtino ſuprà citato non reluctante.*
X. *Aſſertum rationibus commonſtratur, ſcilicet*
(a) *Ex prudentia in actu fidei requiſita;*
(b) *Ex voluntatis illam imperantis indole,*
(c) *Chriſti doctrina,*
(d) *Et aliis S. Scripturæ, potiſſimùm mulieris Samaritanæ exemplis.*
(e) *Ss. Patrum conſenſu,*
(f) *Et S. Auguſtini ſupra laudati ſuffragio.*
XI. *Argumentorum illorum extrinſecùs accerſitorum munus.*
XII. *Fidei Oeconomia.*
XIII. *Maxima in fidei ſuſceptione gratiæ & piæ affectionis neceſſitas.*

IN Religionem veram inquiri & poſſe, & debere, atque hoc in negotio eas quoque præ cœteris Philoſophorum diſciplinas & ſectas congruere poſſe, quæ artem dubitandi profitentur, & aſſenſiones animi cohibendas eſſe decernunt, oſtenſum fuit; nunc quibus mediis inveniri poſſit, indagandum ac diſcutiendum venit.

II. Ac primò quidem non omnis Rationis uſus & auxilium â Religione removendum videtur; nam ſi per Rationem homines ſumus, humanitas nobis veluti abjicienda non eſt, cùm Religionis inveniendæ viam ingredimur. Sua ineſt Rationi lux, ſui radii, fallaces quidem & damnoſi, ſiquis animi ſui aciem iis perſtringi ſinat; perutiles contrà & parandis ad fidei ſuſceptionem, ac confirmandis animis opportuni, ſiquis non ventoſæ & præcipitis, ſed prudentis Philoſophiæ præceptis munitus cautè iis moderari ſciat. Ut enim Cimmerii, quibus ademptus erat ſolis aſpectus, ignium, qui ipſis aderant, lumine utebantur; ità humana Ratio, etſi claro, firmo, & conſtanti veritatis caret aſpectu, neque ſatìs ſplendidâ ad eam intuendam luce mentes noſtras colluſtrat, at tenues certè & ſubobſcuros præfert igniculos, quibus aut videmus, aut videre nos putamus aliquam ad veram Religionem viam.

III. Luce hâc ſuâ, utut ſubobſcurâ, falſas interdum Religiones detegit, & erroris convincit. Sicut enim nun-

quam poterit Ratio impugnare Religionem veram, etſi ejus myſteria non ſemper aſſequatur; vel id ſi facit, contra naturam ſuam facit & facultate ſuâ abutitur; ità econtrà nec Religio poteſt reluctari Rationi, aut continere ac docere aliquid omninò Rationi adverſarium, cùm veritas nonniſi una ſit & indiviſibilis: quo ſenſu jam ſuperiùs aſſertum fuit, Religionem illam veram eſſe non poſſe, nec â Deo revelatam, quam recta ratio tanquam ſibi manifeſtè adverſam damnat; Atque eâdem vel ſolâ duce proinde jam olim quidam ſuarum Religionum falſitatem rectè argumentando noverunt, & hodiedum adhuc ſuperſtites Ethnici facilè in ſuam ſuperſtitionem falſitatis ſententiam ferre poterunt, utpote quæ cum idolorum cultu & Deorum furum, adulterorum, ebrioſorum, libidinoſorum, & mendacium innumerâ multitudine viam ad omnem nequitiam ſternit.

IV. Verùm utinam tam facilè vera inveniri poſſet, quàm falſæ erroris convinci: Conſtat enim, poſſe â Philoſophis merè humano ingenio excogitari Religiones, quæ de reliquo ſuis in opinionibus & doctrinis Rationi non repugnent, & ab ipſis aut impoſtoribus aliis tanquam divinitus revelatas venditari poſſe, quales tamen reverâ non eſſent: „Impugnatæ ſunt (ajebat *Lactant. Lib. 2. Cap. 3. Divin. Inſtitut.*) â prudentioribus „falſæ Religiones, quia ſentiebant eſſe falſas; ſed non eſt „inducta vera, quia qualis, aut ubi eſſet, ignorabant. Itaque ſic habuerunt, tanquam nulla eſſet omninò, qui veram non poterant invenire; eodem modo inciderunt in „errorem multò majorem, quàm illi, qui falſam tenebant.

Nihilominùs cùm & vera Religio divinitus revelata non exiguo alicui populo, ſed omnibus Nationibus parata, ac ſingulis communis eſſe debeat, nec tamen ſingulis immediatè communicata ſit; debet communis quædam ad authoritatem illam Divinam agnoſcendam, & Religionem ab hac deſcendentem amplectendam via patere, quâ omnes tutò illam dignoſcere, hanc verò amplecti poſſint. Via ejusmodi communis præter immediatam illam revelationis divinæ applicationem, inſpirationem alii vocant, ſingulis factam, ſolæ reſtare poſſunt humana Ratio & Authoritas. Ratio quidem facultas animi dicitur, quâ conatur verum & falſum, bonum & malum dignoſcere, & è certis ſibique notis præmiſſis certum aliquid argumentando deducens, ſibi aut aliis illud perſuadet. Authoritatis verò vocabulo vis illa ſignificatur, quam habet ad aliquid perſuadendum alterius narratio verbis vel ſcriptis menti noſtræ communicata. Et hæc quamvìs multùm polleat, non tamen ejusdem ſemper ponderis eſt, ſed ad Rationis tribunal atque examen trahenda, nósque è rationis conſenſu vel diſſenſu illius vim aut infirmitatem dignoſcimus.

V. Unde dubitandum non eſt, Rationem, (non tamen ultra ſphæram ſui luminis defectibilis ac ſæpè obſcuri) plurimum debere, & poſſe etiam conducere ad agnitionem veræ Religionis. Nam cùm triplex nobis ad rerum comparandam notitiam inſtrumentum, ſenſus, Rationem, & fidem, quæ ipſa pars eſt præcipua Religionis, largitus ſit Deus; ſenſus Rationi, Rationem fidei prætexuit, ut ſenſuum infirmitati opem ferret Ratio, Ra-

tionis errores fides emendaret. Utque priùs ſenſibus utimur, quàm Ratione, ità priùs Ratione, quam fide. Et quemadmodùm antè ſentit homo, éſtque animal, quàm Rationis ſit particeps, ità priùs Rationis eſt particeps, quàm fidei. Ad naturam enim hominis pertinet ratione eſſe præditum; at præter naturam eſt, præditum eſſe fide. Deinde cùm fides ſit donum homini divinâ gratiâ extra naturæ ordinem conceſſum, Ratio verò naturâ humanâ contineatur, gratiámque præcedat natura, utpote in qua recipitur; Ratio utique ac naturalis cognitio præcedit fidem ac Religionem; quid? quòd ideam quandam genericam veræ Religionis humanæ menti inſitam eſſe, ſuperiùs jam fuit aſſertum.

VI. Abſit tamen, ut per hoc ad eam Manichæorum inſaniam declinare velle videamur, quâ omnia Religionis Myſteria & dogmata cum veritate & Ratione concordia demonſtraturos ſe eſſe evidenter pollicebantur, atque ſic nihil credendum ducebant, niſi rationi priùs per argumenta intrinſeca conſtaret veritas; ſive per explicationem omnimodam atque evidentem demonſtrationem omnium dogmatum atque myſteriorum: quæ quanta ſit inſania, totus eſt Auguſtinus, ut Manichæis oſtendat *Lib. cont. Epiſt. Man.* & ſuo ipſorum exemplo doceat, quàm vanè id de ſe jactarent, & quàm iniquè ab aliis exigerent, quod nec ipſi præſtare poſſent.

VIII. Evidentem námque ejusmodi myſteriorum & dogmatum Religionis & fidei ex argumentis intrinſecis demonſtrationem neceſſariam aſſerere, perinde eſt, ac

ipſam

ipſam Religionis ac fidei rationem atque naturam deſtruere. Hæc ipſa (a) exigit, ut creatura rationalis & libera Deo Auctori ſuo ſupremum non tantùm voluntatis, ſed etiam intellectûs obſequium exhibeat, & utramque illi potentiam ſubjiciat, piéque devoveat; ſed quis obſequium intellectûs putet Deo præſtitum, dum aſſentitur iis, quæ per rationem evidentia apparent, & neceſſariò intellectum rapiunt ad aſſenſum? Illud certè obſequium Deo præſtitum nemo negabit, dum propter ſolum ſupremum ejus Magiſterium & authoritatem falli neſciam aſſentimur rei, quam tamen intellectui obſcuram & imperviam fatemur. Quapropter (b) neque meritum haberet fides noſtra ad ſalutem, qui finis eſt ac ſcopus Religionis, ubi humana ratio præberet exprimentum, & evidentia, neceſſitate intellectûs inductâ, omnem tolleret libertatem. Porrò (c) ad infinitam Dei Majeſtatem pertinet habere quædam arcana ſibi ſoli cognita, nobis autem abſcondita, ut reminiſcamur Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur capere non poſſe; & hæc quamvìs nec ſint, nec eſſe poſſint contra rationem humanam, ſaltem ſupera illam ſunt, cujus vim & facultatem excedunt; & dum horum notitiam mediante fide communicare nobis dignatus eſt; conveniebat illa nullis rationibus confirmata proponi, ſed imperatoria & dictatoria brevitas ipſum tanquam rerum omnium dominum decebat; ùt *Lactant. Inſt. lib. 3. cap. 1.* „Divina, inquit, „tradita ſunt breviter ac nudè; Nec decebat aliter, ut, „cùm Deus ad hominem loqueretur, argumentis aſſe- „reret ſuas voces, tanquam fides ei non haberetur, ſed „ùt oportuit, eſt locutus, quaſi rerum omnium maxi-

„mus

„ mus judex, cujus non eſt argumentari, ſed pronunti-
„ are verum. „ Hinc (d) quò illa videntur magìs in ſe incredibilia, eò magìs divina ſe produnt, eóque digniora ſunt, quæ credantur, dum Deus locutus eſt. Quò minùs ingenio & potentiæ creaturæ proportionata ſunt, eò magìs proportionata ſunt conſilio Dei volentis illam ſub jugo fidei humiliare, & tota in iis ratio facti eſt potentia facientis. Nec enim debuit infinitus Deus talis eſſe tantummodò, qualis finitæ menti videri poteſt, nec ea duntaxat velle, quorum nobis perſpicuæ forent cauſæ, effectus, & ordo. Sicut non effugiet miſeræ amentiæ notam idiota, ſi falſa affirmare velit, aut vera credere nolit, quæ Philoſophis, atque acutis viris certiſſima apparent, non aliâ ductus ratione, quàm quòd ea capere ipſe non valeat; ità multò major eorum eſt dementia, qui â Deo veritatis fonte revelata vera & certa reputare nolint, eòquòd infirmi ſui intellectûs acumen excedant. Prætereà (e) vera Religio ac fides omnibus hominibus debet eſſe communis; paucorum verò hominum eſt rationes ejusmodi intrinſecas plerumque difficiles capere, quibus mens ad certam cognitionem rerum omnium Divinarum perducatur, cùm illæ alias diſciplinas nonniſi immenſo ſtudio & longiſſimo plurium annorum diſpendio perdiſcendas ceu fundamenta præſupponant, ac prærequirant: Cœteris ſanè hominibus, qui tam felici ingenio, tam vivido intellectu præditi non ſunt, aut in curas diverſas rei familiaris procurandæ, mercaturæ exercendæ, artium mechanicarum & militiæ labores diſtracti diſciplinarum ſublimiorum ſtudio vacare non poſſunt, non idcircò neganda aut differenda Religio, neque

hos

hos par eſt nihil de Deo, ejúsque cultu ſcire: admiſsâ autem demonſtrationis intrinſecæ neceſſitate hi omnes cum rudibus & craſsâ Minervâ afflatis arbitrantes, non ſine rationibus demonſtrativis eſſe credendum, nunquam ad veram Religionem pervenient, quia nunquam obſcura & ardua quædam Religionis arcana ſatis ſunt intellecturi. Atque hæc ipſa demum (f) vel maxima eſt noſtra totiúsque populi Chriſtiani felicitas, quòd nunc rudes & indocti, ſimplices aniculæ Chriſtianæ in ultimis terræ finibus Canadenſes inter Barbaros victitantes, & parvuli fide inſtructi magno & brevi ſolius authoritatis Divinæ revelantis compendio, utpote motivo tam rudibus, quàm doctis facilè cognoſcibili majores ac ſublimiores veritates certiùs cognoſcant, quàm omnia olim Philoſophorum ac Sapientûm Ethnicorum Lycæa ingenii ſui acie attingere, aut immani labore aſſequi potuerint, ùt ipſemet Chriſtus Dominus Patri ſuo gratias agens confitetur, quòd abſconderit iſta â ſapientibus, & revelaverit ea parvulis. Majori certè cum dignitate conſulere infirmitati noſtræ non potuit Deus, quàm ut noſtræ miſertus hebetudinis, noſter ipſemet Doctor & interpres eſſe vellet.

VIII. Nihilominùs exigebat providentiæ Divinæ ſumma ratio, quæ finem intendit, ut media quoque ad obtinendum finem neceſſaria & proportionata adjungeret: Atque ideò jam ſuprà, impreſſam hominibus eſſe genericam quandam veræ Religionis ideam, aſſeruimus, ex cujus applicatione pronum & facile ſit veram â falſis diſcernere: Tota tamen illa idea non argumenta myſteriorum fidei intrinſeca & demonſtrativa continet, ſed præ-

cipuas tantùm notas characteriſticas (ſigna vel motiva credibilitatis in ſcholis appellant) extrinſecas quidem, ſed propoſito fortiſſimè probando omnium conſenſu idoneas indicat menti humanæ, ex quibus illi vera Religio aliis omnibus oſtendatur evidenter credibilior, qualem illam eſſe debere, ipſamet ſana ratio dictat. Neque enim Deus voluntatem cujusquam inſtigat, ut mentem jubeat aſſentiri incredibilibus, quod ipſum eſſet illam dare in perturbationem & angorem, ſummámque ipſi vim adhibere.

IX. Unde potiùs demirari ſatìs non poſſumus altiſſimum Dei in perducendis ad ſuî agnitionem & cultum hominibus conſilium, & mirabilem fidei Divinæ œconomiam, quòd ſcilicet ejus dogmata, quamvìs in ſe obſcura, rationis humanæ viribus impervia & multò ſuperiora exiſtant; illa tamen ſtupente Prophetâ Regio credibilia nimis & ità evidenter credibilia fecerit, ut nemo prudens dubitare poſſit, ea divinitus revelata eſſe, atque prudentem credulitatem mereri. Scilicet ne evidentia quidem fidei deeſt, ſi non in rebus & dogmatis, quæ credit, in momentis certè, quibus ad credendum inducitur: cùm tam non ſit dubium Deum eſſe locutum, ut velle dubitare manifeſta ſit contra veritatem perduellio. Atque ità ne Deus quidem fidem exigit absque omni prævia ratione, ſaltem eâ, quæ extrinſecus accerſitur ad nos de Divinæ revelationis exiſtentiâ certiorandos, & ad humanam authoritatem de illâ nobis atteſtantem dijudicandam & diſcutiendam, ità ſcilicet, ut ratio inſtrumentum ſit, non cauſa fidei; ut obices tantùm & impedimenta

fidei

fidei removeat, & illi viam in animo ſternat ac muniat; & ipſa quoque obtemperatio intellectûs, his rationibus propoſitis, præſtita quoddam ſit rationabile obſequium. Id quod S. Auguſtinus nequaquam impugnavit *Lib. de utilit. cred. contra Manichæos.* Nec enim hi rationem præire fidei ſolummodo contendebant, ſed & cauſam eſſe, propter quam fides admitteretur, & ſine quâ voluntas non eſſet parata ad imperandum aſſenſum: non tantùm rationibus extrinſecis prudentem credulitatem ſuaderi, ſed fidei dogmata rationibus intrinſecis demonſtrari volebant. Paſſus illud facilè fuiſſet Auguſtinus, imò paſſus eſt, ùt infrà docebitur: hoc verò caſtigandum duxit.

X. Fides itaque obſcura quidem, at cœca penitus, & omni ratione prævià deſtituta non eſt. Et ſi vis argumentorum exſpectanda non eſt, ut credamus, attamen ne temerè aut leviter credamus. (a) Prudentem enim fidem ac mentis aſſenſum Religio poſtulat, qui ſcilicet actus virtutis intellectûs ſit: *Qui verò credit citò, levis corde eſt.* Ut ait Eccleſ. 19. v. 4. cui & conſonat illud Heſiodi: *Credulitas pariter & incredulitas perdiderunt homines.* Æquè enim rationi repugnat credere omnia, ac dubitare de omnibus. Et qui fidem admittit ſine ratione, facilè etiam fidem ſine ratione detrahet. Neque bardi planè ſtupidíque ità fuiſſe exiſtimandi ſunt tot homines ſapientiſſimi, ac populi morum culturâ & ingenii famâ alioquin celebres, qui ſeſe Chriſti Evangelio ſubmiſerunt, ut aliter eos Chriſtianæ Religioni conſenſiſſe putemus, quàm fortiſſimè ſibi perſuaſum habuerint, jure merito eſſe credendum. Quin debebant illi poſſe da-

re rationem omni poſcenti ejus Religionis, quam conſtanter adeò uſque ad effuſionem ſanguinis Religionibus cœteris præferendam duxerunt. Deinde (b) Fides ex imperio voluntatis proficiſcitur. *Multa poteſt facere homo nolens*, inquit S. Auguſtinus *Tract. 26. in Joann.*, *credere autem non poteſt, niſi volens.* Voluntas autem ex definitione Stoicorum eſt, quæ quid cum ratione deſiderat, & ignoti nulla eſt cupido; hinc requirit aliquem rationis uſum ea explorantis & diſpicientis, quæ mentem ad credendum invitant. Sin ſecus eſſet, velut proſtituto ad obvia quæque mentis aſſenſu omnem rationis uſum atque opem fides reſpueret, indiſcriminatim omnia crederentur & vera, & falſa, & revelata, & non revelata, atque laus omnis fidei, fidésque ipſa concideret. Credere enim, nec quid credatur, ſcire, inſanire eſt. Credere item, quæ â Deo revelata non ſint, ad fidem Divinam & Religionem non pertinet. Ut autem credatur quidpiam idcircò, quòd â Deo revelatum ſit, utendum eſt ratione, quâ diſcutiamus, an reverâ illa revelatio divina exiſtat. Quapropter (c) Rationem ità â fide non ſegregant oracula Dei in ſacris literis prodita, ut fidem jubeant prorſus abſtinere Rationis conſortio: contrà verò fidei præeuntem, viámque ſternentem paſſim inducunt. Chriſtus ipſe ſupremus Magiſter, qui docebat ſicut poteſtatem habens Matth. 3. v. 29., cauſas quidem & rationes intrinſecas altiſſimorum ſuorum dogmatum non attulit, & tamen, ut ſibi crederetur, inſtabat, & fidem ſibi haberi præcipiebat non aliter, niſi præmiſſis, patratis, & ſæpiùs populo inculcatis ingentibus illis prodigiis, quæ nemo alius fecerat, hoc eſt, rationibus extrinſecis, quibus

bus

bus tutò deducerentur Judæi ad credenda etiam illa, quæ ſatìs non intelligerent. *Non creditis*, inquit Joann. 14. v. 11. & 12., *Quia ego in Patre, & Pater in me eſt; alioquin propter opera ipſa credite.* Et iterum v. 29. *Nunc dixi vobis, priusquàm fiat, ut, cùm factum fuerit, credatis.* Ità nimirùm híſce rationibus extrinſecis molliebat præcepta ſua, mentésque ad obtemperationem adducebat, & cum hominibus quaſi humano more agebat. (d) Plurima quoque in id afferre alia ſacræ Scripturæ exempla pronum foret. Præbet id Apoſtolus *ad Hebr. cap. 12.*, ubi fatetur nobis impoſitam eſſe integram nubem teſtium; præbet S. Lucas in Proœmio ſui Evangelii teſtes de viſu & auditu, ad conciliandam dictis ſuis aſſenſionem firmam, adducens; Præbent ſancti Joannes & Petrus in ſuis Epiſtolis proteſtantes, ſe annuntiare ea, quæ viderant & audierant. Sed aliorum omnium inſtar ſit unum illud Samaritanæ mulieris, quæ poſt breve colloquium cum Chriſto habitum Ratione utitur, ut de eo judicium faciat, ac Prophetam eſſe primùm putet; *Domine, video, quia Propheta es tu.* Mox ità paratam mulieris mentem fide informare volens Chriſtus, ait: *Mulier crede mihi.* Nec ſtatim illa vocanti paret, ſed adhuc dubitans & rationum momenta utrinque expendens, alium expectandum eſſe concludit, cui ſubmittat animum: *Dicit illi mulier: ſcio, quia Meſſias venit; cùm ergò venerit ille, nobis annuntiabit omnia.* Sed poſtquam ſe hunc ipſum eſſe Meſſiam, apertè declaravit Chriſtus, & voluntatem mulieris gratiæ ſuæ ſtimulis commovit, mox imperioſa voluntas animum jubet rerum argumentis, ac rationi aſſentiri, & Chriſto vocanti fidem habere. Igitur poſtquàm

quàm in urbem regreſſa eſt, nondum Chriſti palàm profitetur fidem, nec de interno illo Divinæ gratiæ afflatu, quo ad eam amplectendam fuerat impulſa, quicquam commemorat apud municipes ſuos rerum cœleſtium rudes, & nondum gratiæ aſpiratione excitatos: rationem tantùm exponit, quæ in animo ſuo fidei præverterat, quæque poſſet eorum mentes eodem inclinare, nempè quòd res clàm ſibi actas Jeſus noviſſet. *Venite*, inquit, *& videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci; nunquid ipſe eſt Chriſtus?* Nec ſpes eam ſua fruſtrata eſt; nam eâdem ratione commoti plerique fidem Chriſti Divinæ gratiæ beneficio amplexi ſunt. *Ex civitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis, quia dixit omnia, quæcunque feci.* At iidem deinde audito Chriſto, & in fide per gratiam ab eo confirmati, velut ejurant rationis ſubſidium, & mulieri ſignificant, ſe certiores habere cauſas, cur credant, quàm propoſitam ſibi ab eâ rationem: *Jam non propter tuam loquelam credimus, ipſi enim audivimus & ſcimus, quia hic eſt verè Salvator mundi.* In quibus manifeſtum eſt, rationem parâſſe, & compoſuiſſe animum ad fidem, hujus removiſſe obices, & viam in animo mulieris, ac incolarum muniviſſe. (e) Neque aliam in perducendis ad veram Religionem infidelibus viam tenuerunt ſancti Apoſtoli, atque Apoſtolorum Succeſſores Epiſcopi, Patres, cœteríque Eccleſiæ Catholicæ Doctores, quàm quòd ea protulerint argumenta, quibus prudenter credibilis, imò evidenter credibilis oſtendebatur Chriſti Religio. Cujus rei teſtes ſunt *Juſtinus Martyr. Orat. exhort. ad gentes & 2. Apologiis pro Chriſtianis.*

Ter-

Tertull. Lib. de præſcript. Athenagor. in Apolog. Origenes Lib. 1. contra Celſum. (f) Ipſemet S. Auguſtinus, optimus credendi & ratiocinandi Magiſter, quamvìs rationes dogmatum omnium ac myſteriorum demonſtrativas importunè â Manichæis, quin etiam parum piè atque imprudenter exigi docuerit, non tamen absque omni ratione præviâ impoſitum fuiſſe futuris fidelibus ab Eccleſia Catholica credendi jugum, teſtatur *Lib. de vera Relig. cap. 34.* ibi. „Ipſa quoque animæ medicina, quæ „Divinâ providentiâ & ineffabili beneficentiâ geritur, „gradatim diſtinctéque pulcherrima eſt. Diſtribuitur „enim in authoritatem atque rationem. Authoritas fi„dem flagitat, & rationi præparat hominem ; ratio ad „intellectum cognitionemque perducit. Quanquam nec „authoritatem ratio penitus deſerit, cùm conſideratur, „cui ſit credendum ; & certè ſumma eſt ipſius jam co„gnitæ atque perſpicuæ veritatis authoritas. Item Epiſt. „120. cap. 1. aliàs 22. ibi. „Abſit, ut ideò credamus, „ne rationem accipiamus, ſive quæramus ; cùm etiam „credere non poſſemus, niſi rationales animas habere„mus. Ut ergò in quibusdam rebus ad doctrinam ſa„lutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere „valemus, ſed aliquando valebimus, fides præcedat ra„tionem, quâ cor mundetur, ut magnæ rationis capiat „& perferat lucem, hoc utique rationis eſt. „ Ex quibus omnibus patet, prævia ad fidem argumenta rationis extrinſeca ab Auguſtino requiſita fuiſſe, ità tamen, ut fides non in ratione humana, ſed in ſola authoritate Dei revelantis infallibili fundetur, in eamque veluti cauſam intrinſecam & formalem ultimatò reſolvatur; atque

eæ

eæ rationes tantùm fundent judicium prudens & practicum, quod dictat, maximè credibile eſſe, quòd â Deo hæc revelatio proceſſerit.

XI. Horum igitur ſignorum ſeu motivorum munus præcipuè afficit divinam revelationem; id eſt, non tam nobis perſuadent ipſam myſteriorum revelatorum veritatem, quàm id tantùm efficiunt, ut judicemus, evidenter credibilem eſſe exiſtentiam Divinæ revelationis, & ſic honeſtè poſſe, & prudenter debere credi ipſa myſteria, quæ per hanc revelationem talibus ſignis conſpicuam proponuntur. De cœtero ſua adhuc relinquitur fidei libertas, obſequii ratio, ac meritum, & omnis ſimul incredulis præciditur excuſatio. Ità ſcilicet mirabiliter Deus miſcuit claritatem & evidentiam cum obſcuritate, ut fideles adhuc dubitare poſſint de veritate dogmatum, infideles verò certiſſimè illam deprehendere poſſent, dummodo animum præjudiciis vacuum ſatìs adverterent; ac porrò, ut Deus juſtè poſſet reddere credentibus præmium ſuæ fidei, infidelibus verò incredulitatis ſuæ ſupplicium.

XII. Quamobrem ad Religionem veram amplectendam & fidem ſuſcipiendam, quæ â judicio intellectûs, & â voluntatis imperio proficiſcitur, hi potiſſimùm actus prærequiruntur & interveniunt: Primus eſt perceptio eorum, quæ de hac Religione traduntur & prædicantur; nam ex Apoſtolo *Rom. 10. v. 17. Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Secundus eſt mentis inquiſitio & examen, utrùm, qui verba facit, fidem

merea-

mereatur. Hinc porrò efficitur, ea, quæ proponuntur ad credendum, ejusmodi eſſe debere, ut credibilia videantur, hoc eſt, ut cauſa nulla ſit, quam ob rem mens judicet, talia credi nec poſſe, nec debere. Unde Tertius actus eſt judicium, quo mens ponderatis motivis credibilitatis certò judicet, omninò credibilia eſſe, quæ proponuntur; atque hæc mentis dijudicatio fit adhibitâ ratione, quæ per hanc repudiat, quidquid levitas, quidquid vanitas, quidquid impietas comminiſcitur, & proponit ad credendum. Sed & præter hoc judicium mentis, quod è motivis credibilitatis educit Ratio, & eſt naturale, aliud quoque requiritur ceu Quartus actus, quo mens non ſolùm judicet rem eſſe credibilem, ſed decernat hìc & nunc eſſe credendam, quemadmodum ad eliciendos alios actus aliarum virtutum, puta miſericordiæ, ſatìs non eſt, quòd mens judicet, laudabile eſſe opem ferre proximo indigenti, ſed inſuper requiritur, ut decernat, hìc & nunc ei opitulandum: Atque hoc judicium eſt ſupra naturam: ex hoc enim exurgit pia voluntatis motio, & credulitatis affectus, tanquam Quintus actus, quo voluntas, illuſtratâ jam â Deo mente, & gratiæ Divinæ inſtinctu, ſuo imperio mentem flectit ad aſſentiendum veritati revelatæ & ſufficienter propoſitæ: Nam ex *S. Auguſtino lib. de prædeſtinat. Ss. Cap. 5.* „Credere vel non credere eſt in arbitrio voluntatis humanæ„: Et veritas propoſita, quantumcunque credibilis appareat, manet ſemper obſcura & inevidens, nec proinde neceſſariò mentem determinat ad credendum, quemadmodum concluſio, quæ evidenter deducitur ex principio per ſe noto, per ſuî evidentiam intellectum cogit ad aſſenſum.

XIII. Gemino itaque charactere fides vera & divina â falſa diſcernitur, nimirùm dijudicatione illâ Rationis, ac intimo prætereà gratiæ Divinæ impulſu: aſſenſus enim profanarum Religionum nec incorruptæ ejusmodi Rationis ſuffragio gaudere, nec â gratia Divina proficiſci poſſunt: Et quamvìs exteriora illa fidei argumenta & media omnibus ſint expoſita; donum tamen fidei cœleſte juſto Dei, perverſitatem voluntatis humanæ punientis, judicio non omnibus contingit: unde, perſpectâ humanæ rationis infirmitate ac imbecillitate, in cognoſcenda vera Religione reliquum eſt, ut homo ſuæ imbecillitatis memor ad Deum omnium luminum Patrem confugiat, ab eóque cœleſte hoc donum in humilitate expoſcat, quod præſtare infinitam ipſius ſapientiam & clementiam decet; ac divino hoc favore aſpirante multùm valebunt humanæ mentis vires, atque per eas cognoſci revelatio Religionis veræ & â falſis atque confictis diſtingui poterit. Cum infidelibus verò obſtinatis, qui plerumque præconcepto in Religionem Chriſtianam odio & aliis affectibus minùs honeſtis faſcinati, nolunt tantam motivorum evidentiam intueri, fervidè minùs nobis eſt diſputandum, quàm pro iis orandum, ut ſtudium noſtrum ex precibus apud Deum proficiat ad auferendum velamen de mentibus & cordibus eorum.

Cap. IV.

CAPUT IV.

Religio Chriſtiana ex evidentibus argumentis & ſignis credibilitatis ſatìs demonſtratur.

SUMMARIA.

I. *Connexio Capitis hujus cum prioribus.*
II. *Etiam Chriſtiana Religio intrinſecis argumentis non eſt demonſtrabilis.*
III. *Sed extrinſecis divinitatis quidquam præſeferentibus.*
IV. *Enumerantur.*
V. *Primum Prophetiæ ſuppeditant, ſoli Deo propriæ,*
VI. *Luculenter probatæ,*
VII. *Præ omnibus Gentilium fabulis.*
VIII. *Miraculorum vis.*
IX. *Eorum, quæ â Chriſto & Apoſtolis patrata ſunt, certitudo.*
X. *Propagatio Religionis Chriſtianæ mirabilis ob ejus arduitatem*
XI. *Ob mediorum hunc in finem adhibitorum infirmitatem & perſecutionum furorem.*
XII. *Denique ſanctitas auctoris & Doctorum hujus Religionis.*
XIII. *Qualem ſigna iſta certitudinem pariant?*

XIV. *Probatâ ex his evidenti credibilitate Religionis Chriſtianæ, omnia ejus dogmata absque ulteriori examine rationis creduntur.*

REligionem â Deo revelatam eſſe debere, ut ipſi grata ſit, eámque, quæ â Deo revelata eſt, neceſſariò veram eſſe, animæ rationalis conſcientia occultis quibusdam veritatis ſeminibus etiamnum ſcatens dictitat; cùm neceſſariò verum & inconcuſſum ſtare debeat, quod prima Veritas, Deus revelavit. Ad cognoſcendum autem, revelatáne fuerit â Deo, nec ne quæcunque Religio propoſita, vel ſola prudentia Deo adſiſtente perducit, & perducere poteſt: Nam omnibus hominibus dummodo non pueris, neque fatuis prudentia ſufficit communes illas Regulas & leges, quarum ſubſidio unicuique intelligere fas eſt, num hominibus revelationem Divinam jactantibus auſcultandum ſit.

II. Quam verò generatim inquirendæ veræ Religionis viam hactenus commonſtravimus; eandem quoque in Chriſtianæ ſuſceptione ſervandam terendamque eſſe, ipſa illa argumenta ſuperiori Capite adducta ſatìs evincunt. Neque enim & iſta argumentis intrinſecis evidentibus demonſtrari ità potuit, aut unquam poterit Gentilibus & Judæis, ut plenè de ejus ſingulorum dogmatum veritate convincerentur, quin etiam plu-

res rationes contra illam excogitare potuerint, quæ ad ſpeciem probabiles, licèt non eſſent reapſe, ipſis tamen apparerent, et, ſingulorum illorum dogmatum veritatem non eſſe evictam, probare iis viderentur.

III. Unde & hìc extrinſeca tantùm argumenta omnium Chriſtianorum ſuffragio requiruntur, ac ſufficiunt, quibus divina tantùm ejus origo, ſive, quòd â Deo revelata ſit, comprobetur, quæ ſigna, ſeu motiva credibilitatis Capite priore appellata ſunt; dummodo talia ſint, quæ Divinitatis quidpiam ſpirent, & vires cauſarum creatarum exſuperent atque excedant, cùm aliàs nunquam eadem â ſuppoſititiis aliis quibusque Religionibus humano tantùm ingenio confictis ſatìs ſe diſcerneret, niſi propiùs reliquis omnibus ad Divinarum perfectionum ſimilitudinem accedere ſeſe, oſtenderet. Nunc ad ipſa hæc argumenta tam evidentia & tam multa progredimur, quibus una Religio Chriſtiana ad Judaicæ complementum â Deo revelata probetur, reliquæ verò omnes confictæ ab hominibus vel depravatæ oſtendantur; ut homini prudenti integrum non ſit, Chriſtianæ negare aſſenſum.

IV. Sicut autem Deus menti noſtræ ſingulariter reſplendet per cumulum trium potiſſimùm nobiliſſimarum dotum, Attributa dicunt Theologi, Sapientiæ ſcilicèt, Potentiæ, & Bonitatis Sanctitatísque ſuæ, ità Religio Chriſtiana evidenter ſe credibilem tanquam divinitus revelatam prodit, eòquòd in ea hæ ipſæ nobiliſſimæ dotes ſingulariter appareant, atque his illa ipſimet Deo ſe magìs

aſſimilet. Unde omnia credibilitatis ſigna hìc breviter tantùm ſtrictímque recenſenda, quibus ſe â falſis diſtinguit, ad tria illa attributa Divinæ Naturæ reducuntur, ut Sapientiæ Prophetiæ ac Vaticinia, Potentiæ miracula, Bonitati ejusdem Religionis efficacia, propagatio, puritas & conſervatio reſpondeant.

V. Primum itaque momentum ex Prophetiis meritò deducitur, quo teſtimonio Deus ipſe ſe ſolum verum Deum eſſe probat *Iſa. 41*, quòd ſolus prænuntiârit, quæ in Chriſto futuræ erant, paſſiones, & poſteriores glorias, ùt loquitur *S. Petrus Epiſt. 1. cap. 1.* & *Tertull. Apol. 20.* „Idoneum teſtimonium veritatis eſt veritas divinationis.„ Cùm iſta divinationis veritas Deo ſoli propria ſit, nullíque alteri convenire poſſit. Dæmones quidem præſcire poſſunt & prædicere futura, quæ ex naturali rerum ordine & diſpoſitione neceſſariò conſequuntur; imò nec hæc omninò certò & absque omni erroris & deceptionis periculo, cùm Deum aliquando rerum naturalium ordinem immutâſſe, perſpectum ſit: Siqua verò oracula olim Ethnicis fuderunt ex idolis ſuis de rebus â libero hominum arbitrio pendentibus & contingenter futuris, ea conjecturæ tantùm fuerunt, ex mala ſua nocendi voluntate & ex perſpectâ ſibi cauſarum ſecundarum inclinatione ac diſpoſitione deſumptæ, atque inde ſemper ambigua & æquivoca in utramque partem, nec ipſo id diffitente Tullio, & experientiâ confirmante, verſari, flectíque poterant. Divinæ econtrà ſcientiarum altitudini ſoli reſervatum vaticinari ea, quæ vel ſita ſunt extra naturalem & neceſſarium cauſarum ſecundarum ordinem,

ùt ſecreta cordium, & actiones inde emanantes propriâ ſæpè inclinatione reluctante; vel ea, quæ ex liberis Dei decretis pendent, excedúntque rerum naturalium ordinem ac diſpoſitionem, hæc enim ſolus ille præſcire & prænuntiare poteſt, qui ſolus naturæ auctor & moderator ea ab æterno decrevit, ac in tempore perficit: cujusmodi reverâ ſunt Chriſtianæ Religionis dogmata ex naturali cauſarum creatarum diſpoſitione nequaquam pendentia, â pluribus tamen Prophetis tam dilucidè, támque luculenter prædicta, ut non vaticinia, ſed rerum geſtarum hiſtoriæ videantur.

VI. Ex his itaque Divina Religionis Chriſtianæ origo certiſſimè conſtat, cùm JEſum Chriſtum veniſſe in mundum, infideles ipſi teſtentur, cujus doctrinam & res geſtas â diſcipulis ejus velut teſtibus ocularibus in lucem publicam eo ipſo tempore datas manibus terimus; Hunc ipſum longis antè ſæculis â Prophetis prædictum fuiſſe, ex libris eorundem oſtendimus, quorum & diem, & authores novimus aſcendendo uſque ad Moyſen, cujus libri antiquiſſimi ſunt eorum, qui in mundo extant; quos inſuper non ex ſcriniis noſtris proferimus, ſed ex adverſariorum noſtrorum manibus. „Per omnes gentes, „ait *S. Auguſtinus*, *in Pſal. 58. Conc. 1.*, diſperſi ſunt Ju„dæi teſtes iniquitatis ſuæ & veritatis noſtræ: ſi quando „aliquis Paganus dubitaverit, cùm ei dixerimus prophe„tias de Chriſto, quarum evidentiam obſtupeſcit, & ad„mirans putaverit â nobis eſſe conſcriptas, de codicibus „Judæorum probamus, quia hoc totum antè prædictum „eſt. Videte, quemadmodum de inimicis noſtris alios „confundimus inimicos.

VII.

VII. Alia prorſus omnia in fabulis illis Gentilium deprehendimus, in quibus Græci, aliíque Idololatræ ſuam Religionem fundabant. Poëtæ, qui ipſis Prophetarum & Theologorum inſtar fuerant, paſſim quidem per Muſas, aliósque Deos ſe edoctos eſſe jactitabant, nullo verò argumento probare poterant, nec ullas factorum portentoſorum, quæ recenſebant, circumſtantias adjicere, nec teſtes ullos, qui ea Deorum facta viderint, provocare auſi fuerant. Erant illæ aniles fabulæ, cœcâ antiquitatis reverentiâ conſecratæ, Poëſeos, Muſices ac Picturæ illiciis ornatæ & in diverſis terris diverſæ, ſibíque pugnâ irreconciliabili reluctantes ac contradicentes: quas ipſimet Ethnici ſapientiores falſas agnoverunt, & ubi vaticinia ſolidiora Prophetarum de Chriſto, ejúsque doctrina edocti fuerant, eorum luce & aſpirante Divinâ gratiâ convicti, eidem ſe ſubmiſerunt ex Philoſophis Chriſtiani facti, ùt Sanctus Juſtinus *in Dialogo cum Triphone* de ſemetipſo teſtatur, & Origenes hoc vaticiniorum per Prophetas Judaicos proditorum argumentum ad fidem Chriſti adſtruendam præ reliquis validiſſimum aſſeruit.

VIII. Alter dein veræ Religionis divinitus revelatæ character eſt, quòd æquè debeat eſſe miraculis confirmata. Miracula neceſſaria ſunt ad teſtandum, quòd Deus locutus ſit, & ad excitandam magìs hominum, qui naturæ prodigia intueri abſque admiratione ſolent, attentionem; ſunt illa quaſi ſubſcriptio, quâ Deus veritatem ſuæ revelationis confirmat; cùm effectus non tantùm miri & inſoliti ſint, ſed viribus totius naturæ ſuperiores, qui â ſolo Deo, utut per creaturam velut in-

ſtrumentum, produci poſſunt, â quo ſicut Leges Naturæ ſtabilitæ ſunt, ità & ſummâ hâc tantùm authoritate ſupremo Legislatori competente ſolvi ſubinde, & relaxari potuerunt: Et ſi in confirmationem doctrinæ fiant, hæc per illa neceſſariò oſtenditur â Divina authoritate deſcendere, quæ nec falli, nec fallere, nec falſo ſuam authoritatem, velut cauſa principalis, potuit impertiri.

IX. Aſt probatio etiam miraculorum neceſſaria eſt, ut fides rationabilis ſit, ac differat â cœca credulitate & temeraria levitate, quæ ſuperſtitiosè omne id amplectitur, quod velut prodigioſum proponitur. Atque eadem Divina bonitas, quâ Deus tot tantáque miracula patravit, ut noſtræ ſe fragilitati accommodando nos ad ſe pertraheret, illa quoque in maxima mundi luce fieri voluit, iis nimirùm temporibus, iíſque locis, quæ ad aſſecurandam eorum certitudinem, ad dilatandam notitiam, ad ſervandam eorum memoriam opportuniſſima fuerant. JEſus Chriſtus venit ſub tempora Auguſti, ſæculo Romani Imperii maximè erudito, natus in Judæa ſecundùm Prophetias doctrinam ſuam ibidem divulgavit, & miracula ſua ipſis etiam hoſtibus ſuis infenſiſſimis indubitata & innegabilia patravit Hieroſolymis in Urbe Judææ Principe, quæ poſtmodùm Apoſtoli eorum teſtes oculati eodem adhuc ævo, iisdem in locis, ubi geſta illa eſſe referunt, & ubi recens eorum eſſe memoria poterat, tam Judæis, quàm Gentilibus in lucem publicam dederunt, ipſos quoque veluti teſtes provocantes; quæ propterea nec Judæi diffitebantur teſte Tertull. *Lib. contra Judæos. cap. 9.* & Romani in publicos adeò commen-

tarios retulerunt ex S. Juſtino *Apolog. 2dâ ad Imperat.* Neque minùs certa iisdem erant ea, quæ Apoſtoli in omnem terram diviſi, & Evangelium Chriſti prædicantes in Urbibus præcipuis & eruditioribus, & corruptioribus, mundi emporiis, Hieroſolymis videlicet, Antiochiæ, Alexandriæ, Romæ, Corinthi, per Græciam, in conſpectu Græcorum & Barbarorum, Sapientium & Inſipientium, Judæorum & Romanorum, populorum & Principum perpetrârunt: utpote quibus Chriſtus, tanquam Naturæ Auctor & Dominus, omnimodam patrandi miracula poteſtatem communicare ſe dixit *Matth. 10.* & *Joann. 14.* & quod dixit, fecit. Quam poteſtatem â Succeſſoribus quoque Apoſtolorum exercitam fuiſſe, continua ſeries Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ commonſtrat, quò ſcilicèt verbum Evangelii recèns ſeminatum irrigarent, donec creſceret, & univerſum orbem impleret.

X. Verùm etiamſi nullum in confirmationem Chriſtianæ Religionis miraculum editum ſupponeretur; ſola ſufficeret mirabilis ejusdem efficacia, & in univerſum orbem propagatio, de quâ S. Auguſtinus *Lib. 22. de Civit. Dei cap. 5.* Ibi. „Si per Apoſtolos Chriſti, ut eis cre„deretur reſurrectionem atque aſcenſionem Chriſti prædi„cantibus, etiam iſta miracula facta eſſe, non credunt gentiles; „hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quòd ea ter„rarum orbis ſine miraculis credidit.„ Adeò in propagatione illius nihil humanum, ſed totum Divinum extitit; quod & ſuſcepti operis, implantandæ videlicèt novæ Religionis, tam creditu, quàm factu difficillimæ arduitas, & mediorum, quibus tam arduum opus brevi tempore peractum

aƈtum fuit, eleƈtio luculenter oſtendit. Negari enim non poteſt, latè quoque Mahumetanismum diffuſum fuiſſe: ſed nihil in eo videre eſt, niſi naturale. Homo audax & eloquens ſuo in idiomate, utut alioquin rudiſſimus alios rudes ſuî ſimiles ſeduxit, & fidem illis expoſuit absque myſterio, moralem verò illorum moribus conformem, & pravis cupiditatibus blandientem. Hanc doƈtrinam armis ſuis ſuffulſit, terrásque ſibi & ſuæ Religioni acquiſivit, quas Succeſſores feliciùs longiúsque dilatârunt: ſed nihil in his omnibus eſt, quod curſum ordinarium cauſarum humanarum ſuperet; nec videmus, illam Religionem nedum in perſecutionibus, ſed vel aliis in ditionibus poteſtati extraneæ ſubjeƈtis unquam ſubſtitiſſe. Religionem verò Chriſtianam corruptæ hominum Naturæ & concupiſcentiis, populorum omnium moribus, præconceptis ideis, & inveteratis præjudiciis, quæ vinci vix poſſunt, adverſari perſpeƈtum eſt. Hâc immutandi erant non unius gentis, ſed omnium gentium mores; quod quàm difficile ſit & arduum, expertus eſt Divinus ille Plato, qui ideò venit in periculum, quòd vel tentâſſet. Eradicanda erat ubique terrarum Religio, quæ â pluribus ſæculis altas radices egerat in animis ſive ſapientium, ſive inſipientium; quâ de causâ magnus Socrates cicutam bibit, & præconceptum opus inauſpicatum reliquit: Et quod longè difficillimum, ac prorſus impoſſibile videri poterat, nova inſerenda erat Religio Judæis ſcandalum, gentibus autem ſtultitia tum propter maximè ardua illa myſteria, quæ docet, v. g. Deum unum eſſe in tribus Perſonis; Deum faƈtum hominem et crucifixum &c. tum ob præcepta, quibus abnegatio ſuî ipſius, con-

temptus rerum temporalium, voluptatum corporis fuga &c. imperantur. Has ſanè difficultates nec collatis Sapientes omnes conſiliis, nec junctis omnes Principes viribus ac armis, ſuperare unquam potuerunt, aut poterunt.

XI. Sed, rejectis his omnibus humanis ſubſidiis, Chriſtus ipſe ſecundùm hominum exiſtimationem abjectus Fabri filius, â Principibus ſuis damnatus ùt impius, tandémque crucifixus elegit, quæ ſtulta ſunt mundi & contemptibilia *Ep. 1. Cor. 1*, Apoſtolos ſcilicet numero duodecim, homines viles, idiotas, piſcatores, craſſi & tardi ingenii, ùt ex Evangelio liquet, et, quod rei caput eſt, meticuloſos, qui eum in periculo metu mortis turpiter deſeruerant; non illos præmiis excitavit, nec falsâ ſpe deluſit, ſedpræmonuit, odio futuros eſſe omnibus hominibus, flagellandos & morte afficiendos: nihilominùs pauci illi & viles homines contra omnem ſpem, & ùt ſapientiæ humanæ videbatur, temerè & inſipienter opus prædicationis ſuæ aggreſſi, ignotum ſibi orbem luſtrârunt, & ubique tanquam luminaria cœli, expulſis errorum tenebris, Evangelii lucem ſparſerunt. Vicerunt ii pauciſſimi multos, infirmi validos, inermes armatos, ineruditi doctiſſimos, infacundi diſertos, Piſcatores Philoſophos & Oratores, abjecti Tyrannos & Imperatores; Vicerunt inauditi novitate dogmatis inveteratam & toto terrarum orbe receptiſſimam, & Sapientûm legibus, hominúmque moribus roboratam ſuperſtitionem. Vicerunt per contraria, ultrò volentes & libentiſſimos, tametſi contumeliæ, exilia, proſcriptiones, cruces, ſtatim illos exciperent, &

om-

omnes orbis partes eorum ſanguine maderent, ex quo, fœcundo veluti ſemine, Chriſtiani multiplicati, nedum imminuti ſunt, & ampliſſima eorum ſeges exuberavit. Quin & ipſi Lupi (Imperatores dico) carnibus agnorum ſatiati, in agnos poſteà mutati Chriſto ſeſe devoverunt, ac crucem ejus in diademate honoris causâ ſculptam detulerunt, ejúsque cultum amplificârunt. Næ magnum itaque profectò prodigium ille ſit, qui mundo credente non credit, ùt ait S. Auguſtinus: Et Machiavellus temerè aſſerens *Macch. Princ. cap. 6.*, Prophetas armis & potentiâ deſtitutos nunquam proficere quidquam potuiſſe, ſuam non minùs impietatem, quàm ignorantiam, imò ſolem in ipſo meridie ſe negare, oſtendit, poſtquàm JEſus Chriſtus omnium hominum maximè inermis acquiſitiones & victorias ſibi fecit velociſſimas æquè, ac conſtantiſſimas, maximéque per orbem extenſas: Acquiſitiones inquam tales, quas ille deſiderabat, animos ſibi hominum lucrando, interiùs illos immutando, & ex malis in bonos convertendo; id quod nemo alius Victor omnibus ſuis copiis ac armis impetrare unquam potuit.

XII. His omnibus demùm accedit Chriſti Domini, & Apoſtolorum, aliorúmque Chriſtianæ Religionis doctorum ſanctitas, ipſorum quoque hoſtium teſtimoniis comprobata; ipſius doctrinæ ab omni vitio & errore immunis puritas ac veritas, ejúsque diuturnitas ac invincibilis per tot ſæcula firmitas; quæ omnia luculenter perſuadent, nonniſi â Deo illam deſcendere ſolam potuiſſe, qui ſolus ſanctus, ſolus verax, & ſolus immutabilis exiſtit.

 XIII.

XIII. Hactenus itaque ſtrictim percenſita ſunt argumenta illa, quæ orbem univerſum ad Chriſtianam Religionem præ omnibus aliis ſuſcipiendam commoverunt: quanquam ei non evidentiam veritatis, ſed nudam evidentiam credibilitatis conciliârint; quæ proinde certitudo & evidentia merè quidem moralis eſt, ad finem tamen ſuſcipiendæ Religionis ſufficientiſſima & luculentiſſima: Diverſi enim certitudinis gradus diverſis diſciplinis accommodandi ſunt: Et ſicut Mathematicarum diſciplinarum perito laudi tribui non poſſet, ſi morali evidentiâ ſuis in demonſtrationibus eſſet contentus; ità in re ad mores ſpectante ridiculum foret illam quærere evidentiam, quæ Mathematicis diſciplinis eſt propria. Ut diverſæ ſunt res, de quibus agitur, ſic aliæ aliis rationum momentis ſunt adſtruendæ. *Satìs de re dictum eſt, ubi explicabitur, quantum rei fert materia.* Eſt doctrina Philoſophi Ethic. *Lib. 1.* Item Metaph. *Lib. 1. Cap. ult. Certitudo Mathematica non in omnibus rebus quærenda eſt.*

14. Denique cùm humanæ menti veritatem Religionis inquirenti duo occurrant, nempè an reverâ â Deo revelata fuerit illa Religio, tum quænam dogmata illa revelatio contineat, exhibeátque ſcienda, ſive credenda, aut agenda: poſito hócce fundamento, cognitâque ex his ſignis Chriſtianæ Religionis Divinâ revelatione, dogmata illius omnia cum veneratione accipienda eſſe, nec humano ambitioſè ingenio ſubjicienda, omnes Chriſtum profitentes fatentur, ſed quidquid ab iſta cœleſti Religione proponitur, etſi non intelligatur, & intrinſecæ rati-

ones

ones dogmatum demonſtrativæ non afferantur, aut ſatìs non capiantur, verum credunt, & credendum eſt, quippe â Deo infinitè veraci in hac vera Religione traditum: Authoritati enim Divinæ humanam rationem ſubmittere faſces debere vel ſine ratione accepta, nemo eſt, qui negare auſit, ſed omnes paratos ſe profitentur ad ea etiam credenda, quæ rationis ſuæ acumine attingere non valent; dummodò certi ſibi ſint, eadem â Deo revelata fuiſſe: Revelata & iſta â Deo fuiſſe inde facilè conſentiunt, quòd ipſa Chriſti Religio, quæ hæc dogmata credenda docet ac proponit, evidenter credibilis tanquam â Deo revelata cognoſcatur.

CAPUT V.

Nec Religio Chriſtiana in tanta Sectarum inter Chriſtianos diverſitate ideas fidei liberas admittit.

SUMMARIA.

I. *Æquè periculoſus eſt Chriſtianis circà diverſas Chriſtianæ Religionis Sectas error.*

II. *Inter Chriſtianas etiam unica poteſt eſſe vera Religio.*

III. *Syncretiſmi cauſæ, & inde Syncretiſtarum multitudo.*

IV.

IV. *Ejus fundamenta ac diſtinctio inter dogmata Religionis Chriſtianæ.*
V. *Quæ ſenſu orthodoxo expoſita admittitur.*
VI. *Non autem in ſenſu Syncretiſtarum;*
VII. *Qui, ſuppoſitâ revelatione factâ & nobis cognitâ, ipſum fidei fundamentum ſubruit, & cum non fundamentalibus etiam maximè fundamentalia evertit, vel evertendi ſaltem periculum inducit.*
VIII. *Pax â veritate nunquam ſeparanda, ſicut nec veritas paci eſt inimica;*
IX. *Exemplo Apoſtolorum, & antiquâ etiam primitivorum ſæculorum traditione, nec non recentiorum Religionariorum ſenſu.*
X. *Quando pacis ſtudium ab Eccleſia præferendum?*
XI. *Quò tota hæc quæſtio demùm recidat?*

EX recenſitis ſtrictim priori Capite tot tantíſque argumentis credibilitatis, Religionem Chriſtianam unicam tam perſpicuè â Deo revelatam fuiſſe, probatur, ut nedum non temerarium ſit, illam credere, ſed potiùs extremæ dementiæ eam non credendam ducere. Non minùs autem operæ pretium eſt nôſſe, quì itidem ſe regere debeant hominum ingenia, qui Chriſtianam Religionem unicam tanquam â Deo revelatam agnoverunt, & amplexi ſunt. Quippe non minùs periculoſus eſt, imò etiam periculoſus magìs error

in

in homine veram Religionem amplexo, quàm amplexuro. Saltem nihil differt, medio in mari naufragium facere, & medio in portu, quando naufragum certa mors utrobique manet.

II. Certum enim & hìc eſt principium ex ſupra dictis Cap. 1. profluens, ac citra omnem hæſitationem tenendum: Scilicet idem planè eſſe, admittere omnes Religiones, quæ in mundo ſunt, Chriſtum profitentes tanquam aptas ad ſalutem, quàm nullam prorſus admittere; propterea quòd â ſola Dei revelatione deſcendere vera Religio poſſit; omnes autem illas revelatas â Deo eſſe, penitus ſit impoſſibile. Siquidem omnes iſtæ Religiones, quotquot Chriſtiano adhuc nomine cenſentur, inter ſeſe apertè pugnant: Earum una negat, quod affirmat altera; una è diametro adverſatur alteri tam in iis, quæ credenda, quàm quæ agenda ſunt, ut ſuus Deo cultus exhibeatur. Hoc ſanè ex ipſorum conſtat Authoribus, manifeſtant dogmata: Et ſi in his non diſcreparent, non eſſent plures, ſed hoc ipſo una Religio. Si autem tantopere inter ſe diſcrepant; quomodo eas omnes Deus Spiritus Unitatis revelare potuit, aut omnes ſuo velut ſinu complecti poteſt, omnes probare, omnibus mercedem ac beatitudinem æternam eodem modo largiri? Quin imò quo tempore vult & amat unam veluti â ſe dictatam, alias omnes rejicit & excludit: Et ſi eas excludit, quomodo jam cogitari poteſt, quòd eas omnes præmio donet? Sicut nimirùm unus Dominus, unum baptiſma, unus Deus & Pater omnium, ità & una fides teſte Apoſtolo *Epeſ. 4. v. 4.*

v. 4., quo non obſcurè indigitat, æquè impoſſibile eſſe, plures dari fides & Religiones veras inter ſe oppoſitas, quàm impoſſibile eſt dari plures, quàm unum verum Deum, Dominum, & Spiritum, â quo vera Religio provenire, & Eccleſia vera dirigi debet. Unde dum unica inter omnes illas vera eſſe poteſt; ſufficit ad ferendam in reliquas omnes erroris & falſitatis ſententiam, quòd iſtæ non tantùm inter ſeſe, ſed etiam ab unica illa ſola vera diſſentiant.

III. Nihilominùs ea eſt ſæculi noſtri infelicitas, quòd plures reperiantur Pſeudopolitici, qui alium planè, quàm Divinam veritatem & ſalutem ſuam, reſpicientes polum, ſi non agantur recta in ſcopulos Atheismi aperti, his ſaltem in Syncretismi ſyrtibus hærent, & omnem Religionem, quæ Deum unum & trinum adorat, & Chriſtum Redemptorem agnoſcit, indifferentem, & in reliquis hominum arbitrio relictam exiſtimant. Quorum alii naturali dulcis quidlibet ſentiendi, docendi & agendi libertatis ſtudio id faciunt, alii vanam ingenii, ſi ſuperis placet, excelſioris, atque ſupra vulgares communésque hominum opiniones elevati gloriolam aucupantur, alii verò hâc idearum libertate omni inquirendi in veritatem labore facillimè ſeſe expediri, atque ità ſupinæ ſuæ in graviſſimo & uno neceſſario ſalutis negotio incuriæ ac negligentiæ blandiri poſſe credunt, dum argutis Spirituum, ùt ajunt, fortium Sophismatis ſe relinquunt. Nec minùs commoda & opportuna ea libertas videtur avaritiæ & ambitioni, ad conſervandas tum divitias, tum Miniſteriorum publicorum dignitates, quas & veritati, & om-

nibus

nibus aliis rebus longiſſimè præhabere homo animalis ſolet. Et quod dolendum magis eſt, æquè facile corruptis ejusmodi ingeniis accidit, hâc ſentiendi libertate & alios ineſcare atque corrumpere, cùm vix ullus hominum ſit, qui aut libertatem ac independentiam, aut ſuî præ reliquis diſtinctionem ac præcellentiam non affectet, laborem non fugiat, voluptatibus, bonis, ac vitæ commoditatibus non avidè inhiet, vel anxiè adhæreſcat.

IV. Atque hi ne errorem ultrò amplecti, & Religionis â Deo revelatæ, cujus unitatem neceſſariam agnoſcunt, veritatem deſerere videantur; quoddam ſibi inter dogmata veræ illius Religionis diſcrimen effingunt, quorum alia fundamentalia, non fundamentalia, accidentalia & adiaphora alia appellant: ac porrò ſtatuunt, quòd in prioribus tantùm fundamentalibus convenire diverſas Religiones, neceſſe ſit; his verò ſalvis, in reliquis, quæ accidentalia idcircò vocant, diſſentire integrum ſit cuique, ac liberum: Accidentalibus igitur illis differentiis inſuper habitis, ſubſtantialem tamen Religionis Chriſtianæ â Deo revelatæ unitatem integram perſiſtere; & unitatem potiùs ac conſenſionem charitatis in Spiritu quærendam inter illas eſſe, quàm exactam in doctrinis ejusmodi levioribus, ac ipſa ſalutis fundamenta non attingentibus conſpirationem. Quoad iſtas in ſuo quemque ſenſu abundare poſſe, ac profeſſione unam ſuam, vel ſibi benè viſam Religionem tenere, dummodo reliquas omnes charitate complecti non deſinat; aut ſi certare nihilominùs lubeat, certandum potiùs eſſe virtuti-

bus Chriſtianis, quàm inanibus ejusmodi circa accidentalia quædam diſputationibus & contentionibus, quibus excitentur & foveantur ſimultates, nemo melior efficiatur. Cùm Deus ipſemet aliquas opiniones minùs rectas condonet facilè intellectui humano nondum ex omni parte depurato; nos autem bonâ fide & ex conſcientia errare poſſimus; ſed vitia noſtra & malitias condonare non poſſit, eoquòd nullus hìc error verſetur. Præterea & facilè fieri poſſe, ut in rebus ſpiritualibus ſententiæ, quæ noſtro intellectui contrariæ appareant, apud Deum optimè inter ſe concordent, cui liberum ſit duobus de una re divina diverſos, & ſpecie inter ſe pugnantes conceptus largiri, qui nihilominùs ambo veri ſint, quamvìs neuter alterius mentem capere poſſit: id quod inter alia etiam ex animi cujusque diſpoſitione cauſam habere poſſit, cui Deus lumen ſuum accommodet, prout quemque illo dignum judicet. Nam utì in aliis rebus non omnis ad omnia aptus ſit; ità etiam in ſcientiâ ſpiritualium eſſe gradus infimos, medios, & ſummos, proùt Deus pro captu cujusque unicuique ſe communicare velit. Quòd autem iſta diverſarum Religionum Chriſtianarum diſcrepantia fidei fundamenta non evertat, luculenter exinde colligi, quòd in principiis & fundamentalibus capitibus adhuc ſatìs conveniant; neque attendenda eſſe, quæ argumentis adverſæ partis per conſequentiam modò deducuntur; ſed quid quæque Religio fateatur, quid ſtatuat, doceátve: cùm absque calumniæ labe tribui ea cuiquam non poſſint, quæ planè diffitetur, ac reprobat.

V.

V. Verùm integer iſte diſcurſus, quantumcunque prolixus, undequaque ambiguus eſt, & ſolis præconceptis erroneis notionibus, ac meris, ùt ajunt, æquivocationibus aut amphybologiis nititur, nihil ut videatur fieri poſſe melius, quàm ſi breviter & planè proponatur, quis circa hunc ſenſus ſit orthodoxus: Enimverò ſi integro illo ratiocinio nihil aliud intendi vellet, niſi quòd inter ipſa etiam veræ Religionis Chriſtianæ dogmata aliquod agnoſcendum ſit diſcrimen; haud difficulter omnes ſibi conſentientes habebit. Aſt omne illud diſcrimen in eo unicè concluditur, quòd quædam ſint ex eorum dogmatum numero ità ſcitu & creditu explicitè neceſſaria, ut niſi quis ea ſciat & credat explicitè, de ejus æterna ſalute actum ſit, conclamatúmque. Alia verò ejusmodi, quæ ignorare ſuâ culpâ, Chriſtiano crimen ſit æternâ damnatione luendum. Alia denique ſunt, quæ quamvìs â Deo revelata ſint, ea tamen ſcire, ad ſalutem omnibus non eſt opus: Ignorantiam horum, imò & judicium contrarium erroneum in iis, quibus de Divina eorum revelatione nihil adhuc conſtat, condonari â Deo poſſe, imò & ſolere, infinitæ ejus miſericordiæ eſt, humanæ hìc infirmitati indulgentis:

VI. Interim etiamſi iſta, utut revelata â Deo, ignorare interdum ſinamur; ſi tamen percipiantur tanquam â Deo revelata, ea inficiari, negare, & diſcredere, aut in iis errare nunquam liberum eſſe poteſt aut impune; ſed in his æquè, ac in aliis captivandus erit intellectus creatus in obſequium ſupremi illius Magiſterii; & pertinacem ejusmodi errorem contra veritatem revelationis

Divinæ ſufficienter propoſitam & agnitam reatu carere, ſupremæ Dei revelantis repugnat authoritati. Neque enim potuit Deus, absque læſione & injuria ſupremæ ſuæ authoritatis, aliqua ex iis, quæ revelata ab ipſo ſunt, & nobis cognita, relinquere libera, ut vel credamus, vel pro noſtri tantùm intellectûs modulo negemus, cùm hoc ipſo, quòd â Deo falli neſcio & infinitè veraci enunciata ſint, neceſſariò vera eſſe debeant, illorumque negatio Divinæ huic revelationi ſatìs cognitæ oppoſita indignum aliquid de Deo inferret. Non enim tam attenditur objectorum, vel dogmatum illorum dignitas, præſtantia, aut præciſa neceſſitas, quàm ipſa potiùs divini Magiſterii ea revelantis authoritas, contra cujus altitudinem extolli humanam rationem, deteſtabilis utique Chriſtiano cuivis eſt arrogantia, & intolerabilis temeritas; utpote quod idem eſſet, ac dicere, Deum in rebus minoris momenti fallere & mentiri, licèt in majoribus decipere non velit.

VII. Suppoſitâ igitur æquali quorumcunque dogmatum Divinâ revelatione, quantùm arbitrarium illud, nullóque divino oraculo nixum fundamentalium & non fundamentalium diſcrimen ipſum fidei firmiſſimæ fundamentum ſubruat, atque evertat, pronum eſt cuique vel inde colligere, quòd vel unicum â Deo revelatum & ſufficienter propoſitum negans, ipſam infallibilem Dei authoritatem, quâ fides veluti baſi nititur, ſpernat, omnium propterea reliquorum reus, ſicut teſte Apoſtolo Jacobo *Epiſt. Can. Cap. 2.*, quicunque totam legem ſervavit, offenderit autem in uno, factus eſt omnium reus.

Quid?

Quid ? quòd admiſsâ ſemel dogmatum aliquorum revelatorum repudiatione & negatione, illud facilè incommodi ſequetur, ut imperioſa ratio, & fræni omnis impatiens opinandi licentia cum illis, quæ exiſtimat non fundamentalia, etiam plura alia maximè fundamentalia, Chriſtianismi eſſentialia, & ad ſalutem maximè neceſſaria aliis viſa, præſertim in tanta illorum incertitudine, & diverſarum tot ſectarum in iis determinandis diſcrepantiâ, ſimul eliminet atque repudiet, ac demum ad negationem ipſius ſanctiſſimæ Trinitatis, ſolâ Dei unius agnitione contenta, deveniat.

VIII. Juſtum propterea judicium pacis, monente Zachar. Proph. *Cap. 8.*, judicare diſcamus, nec nobis blando pacis nomine, quod aliqui ſaltem in ore gerunt, in corde autem, & opere veritatem opprimere conantur, imponi patiamur. Nemini enim hìc licet, charitatis intuitu cum iis communionem ſacrorum, unionémque habere, qui in his etiam, ùt ajunt, non fundamentalibus â revelatione Divina ſatìs propoſitâ & cognitâ diſſentiunt, uſque adeò, ut ipſos Eccleſiæ Magiſtratus, Epiſcopos & Paſtores etiam ſubjecti poſſint ac debeant hac de cauſa deſerere, ac damnare. *Non poſſunt enim*, inquit S. Ambroſius, *eſſe inter eos jura pacis, inter quos eſt bellum fidei.* Deus ſcilicet pacem ſine dubio amat, ſed eam, quæ ſupremæ ejus authoritati injuriam non irrogat, & â veritate non ſejungitur; cùm non minùs Deus veritatis, quàm pacis; pax verò â veritate ſeparans, ubi nimirum conſociatio mali & erroris initur, conſpiratio & conjuratio potiùs fœdiſſima adverſus Deum compellanda ſit.

Acce-

Accedit, quòd veritas per ſemetipſam nunquam paci adverſetur, neque hæc, ſed corruptorum hominum perverſitas ſit, quæ bella excitet, ac diſcordias ſuſtentet. Imò veritatem potiùs fundamentum Deus eſſe vult, cui pax ſuperſtruatur, dum per os *Zachariæ Prophetæ cap. 8. v. 19.* veritatem paci apponit, imò præponit, inquiens: *Veritatem, & pacem diligite*: & Chriſtus ubi paulò ante agonem primùm orat, ut Pater diſcipulos in veritate ſanctificet, poſteà ſubjungit, ut omnes unum ſint, ſicut Pater in Filio, & Filius in Patre, ut ità ipſi in eis unum ſint: quo ordine Salvator innuit, veritatis conſenſum præcedere debere, ſi pax ſancta & Deo grata ſubſequi debeat; utì non eſt ſanè cum Chriſto unum, qui unionem cum fratre ſolvit; ità unum cum Chriſto eſſe deſinit, qui fraternitatis vinculo cum eo coaleſcit, qui cum Chriſto non colligit. Extra veritatem nulla pax appetenda, nulla deſideranda; honeſtum potiùs bellum, charitate tamen, & modeſtâ, diſcretâque veritatis perſuaſione temperatum, turpi ac ignominioſæ paci eſt præferendum.

IX. Pacem ejusmodi & ipſi Apoſtoli adeò ferre non poterant, ut eam potiùs damnarent, ac fideles ab omni cum Hæreticis, qui vel in rebus non adeò capitalibus â doctrina eorundem divinitus revelata diſſentiebant, commercio dehortarentur. Nec aliud quidquam denotat Apoſtolus *Tit. cap. 3. v. 10.*, ubi Hæreticum hominem poſt unam & alteram correptionem devitandum eſſe jubet, & *2. ad Tim. 2. v. 17.* fugiendos ait ſermones Hymenæi & Phileti, qui â veritate exciderunt, dicentes,

reſurrectionem eſſe jam factam, & ſubverterunt quorundam fidem. Dum verò *1. Corinth. 1. v. 10.* Corinthios â ſchiſmate (quæ quidem contentio tantùm ambitionis fuerat, non Religionis & fidei) ad mutuam charitatem & unionem obſecrando revocat, mox ſubjungit: „Sitis „autem perfecti in eodem ſenſu & in eadem ſententia.„ Illuſtrius his exemplum idem ſuppeditat *Gal. 1. v. 8.* anathema in eos ferens, qui ſuſceptæ utut integræ doctrinæ & Legi Chriſti Legem Moyſis conjungere attentabant; utique eos majori execratione dignos judicaturus, qui JEſum Chriſtum mundo, ejus Religionem aliis falſis humano tantùm ingenio fabricatis ſociare, Chriſto ſimul & Mammonæ ſervire deſiderant. Et Apoſtolorum ad exemplum Succeſſoribus Patribus & Epiſcopis puriorum quoque, ùt ajunt, ſæculorum, pacis licèt amantiſſimis eadem ſedit conſtans opinio, teſtante *Irenæo: Lib. 3. Cap. 3.* Ibi. „Sancti Apoſtoli & horum diſcipu„li morem habuerunt, ne verbotenus communicarent „alicui eorum, qui adulteraverant veritatem. Et *S. Cypr. Epiſt. 76.* „Neque enim Dominus noſter aliquam ſpe„ciem hæreſeos deſignavit: ... ſed omnes omninò hæ„reticos ... adverſarios ſuos eſſe oſtendit, nec ipſe ul„lam hæreſin, aut ſchisma diſcrevit.„ Et *S. Auguſt. Lib. de Hæreſ.* „Poſſunt eſſe aliæ hæreſes, quæ in hoc ope„re commemoratæ ſunt, quarum aliquam quisquis te„nuerit, Chriſtianus Catholicus non erit: modicum enim „fermentum falſitatis totam maſſam corrumpit.„ Unde & nullam unquam animadverterunt opinionem novam revelationi Divinæ, vel divinis Scripturis, vel traditione proditæ repugnantem, cui ſeſe acriter non oppoſuerint,

quam non proſcripſerint, diris non devoverint, ejus auctore damnato, & ab Eccleſia abſciſſo, niſi ab errore reſipiſceret; quanquam plurimæ ex illis opinionibus illa tantùm dogmata impugnârint, quæ ad fundamentalia, ùt vocant, doctrinæ Evangelicæ capita non pertinuerint: quales certè omiſſis aliis illas Aetii Epiſcopos Presbyteris ſuperiores negantis, Donatiſtarum baptismum ab Hæreticis collatum iterantium, Monothelitarum utut duas naturas unitas, unam tamen in Chriſto tantùm voluntatem agnoſcentium, opiniones fuiſſe, nemo inficiabitur. Imò & ipſi Proteſtantes iis, quæ ex Syncretismo conſequi prævidentur, incommodis ità perculſi fuerunt, ut, quanquam nihil vehementiùs deſiderarent, quàm componere ſua diſſidia, & aliquod inire inter ſe fœdus, quo fortiùs Eccleſiæ Catholicæ obſiſterent, nunquam tamen A. C. addicti induci potuerint, ut oblatam â Reformatis ſic dictis pacem & concordiam, diſcordibus adhuc ſententiis, amplecterentur; benè gnari, diverſas illas ſententias, in quibus diſcrepant, non velut opiniones proprias, ſed velut Divinæ revelationis oracula defendi; nec fieri potuiſſe, ut uterque ſenſus ſibi è diametro oppoſitus ex eodem Divinæ veritatis ore promanârit, quaſi veritas, quæ nonniſi una ac ſimplex eſſe poteſt, in ore Dei, qui utique non diſſenſionis & contradictionis, ſed pacis & unitatis Deus ac Spiritus eſt, duplex foret.

X. Pacem econtrà vanis, inutilibus, & charitati infenſis contentionibus præferendam eſſe, prudens quisque cenſebit, & Eccleſia quoque exemplo ſuo probavit, quousque ipſa illa Divina revelatio necdum ſatìs cognita &

ta & eliquata fuerat; atque in iis quæſtionibus ſcholarum benè multis, quæ hinc inde mirâ varietate, pro cujusque ingenio & guſtu, velut meræ tamen opiniones humanæ agitantur, ipſum quoque pacis ſtudium imperat, ne ulli ex iis, quæ Divinæ revelationi non repugnare cognoſcuntur, cenſuræ nota inuratur, & arrogantis eſſe cenſetur, nulla in re alteri cedere velle: Et quamvìs controverſiæ ejusmodi aliquatenus interdum revelationem Divinam contingere videantur, & ex hac earum deciſio, peti deducíque poſſit; Eccleſia tamen prudentiſſimâ œconomiâ ad pacis conſervandæ ſtudium in illis decidendis ſemper reſpicit, & providè ſibi temperare ſolet, ſi præſertim illæ opiniones in ſola contemplatione verſentur, ſive mores, actionémque non reſpiciant, neque aut palàm, et aperto bello, vel tacitè ac per latus vergant in perniciem alicujus dogmatis aliunde jam ſtatuti ac definiti, & veritatis â Deo revelatæ, & ad hominum ſalutem fidémque ſaluberrimam ſpectantis; quia ſive in unum, ſive in alterum ſenſum, tametſi contrarium, inclinet Chriſtianorum ſententia; nihil officitur doctrinæ morum â Chriſto traditæ, nemo â virtutibus idcircò revocatur, aut ad vitia tacitè allicitur, aliis dogmatis nulla vis, revelationi divinæ, (utpote de qua non conſtat absque judicio Eccleſiæ, ùt proximè oſtendetur) nulla injuria infertur. Has quæſtiones controverſas ſæpiùs præſtat indiremptas relinquere, quàm pacem Eccleſiarum violare, ac turbare, eòquòd malum ſchismatis multò majus ſit, quàm bonum illud, quod Eccleſiæ ex deciſione & cenſura talium opinionum ſperari poſſet.

XI. Ex his omnibus igitur hactenus dictis prono velut alveo fluit, integram hanc quæſtionem, examinatis benè notionibus, diſcuſſisque terminis, eò demùm unicè recidere, an dogmata illa, non fundamentalia quibusdam dicta, æquè â Deo revelata ſint, & ùt talia ſufficienter cognoſci poſſint. Sed ſingulis privatis revelationes illæ non inſpirantur, multò minùs diverſæ diverſis, ùt diſcurſus ſuprà recenſitus ſupponere videtur; & ſiquæ interdum Sanctis quibusdam arctiori velut familiaritate communicatæ, aliis autem negatæ fuerunt; ad peculiaria duntaxat facta, & ſingulorum ſolatium, non autem ad certam, catholicam, & firmiſſimam dogmatum fidem pertinebant; aſt ſiquæ aliis revelationibus divinis certis repugnantes jactentur, eo ipſo falſitatis manifeſtæ arguuntur; Quemadmodùm nec alia de cauſa damnati ſunt olim Cataphryges & Montaniſtæ, quàm quòd novas de tribus quadrageſimis celebrandis, de ſecundis Nuptiis abdicandis, de pace majorum criminum reis deneganda, aliisque de rebus inſtar dogmatis proponerent; quare & deinceps Cataphrygum nomine â ſanctis Patribus notati fuêre fanatici illi, qui novas non de aliquo facto particulari, ſed de aliquo dogmate revelationes induxerunt. Unde id unum poſthac inquirendum videtur, quænam ſint vera illa dogmata veræ Religionis unicæ Chriſtianæ, & unde illorum revelatio certiſſimè, & absque omni erroris periculo tutò cognoſci poſſit, id quod ex capitibus paulò inferiùs ſequentibus patebit.

CAP. VI.

CAPUT VI.

Concordia externæ profeſſionis & cultûs cum internis de unica vera Religione conceptis ideis neceſſaria oſtenditur.

SUMMARIA.

I. *Religio includit fidem internam, & cultum externum.*
II. *Neceſſaria eſt præter fidem internam exterior ejusdem profeſſio.*
III. *Quæ ipſa rurſus non poteſt eſſe adiaphora, ſed internis mentis ideis conformis.*
IV. *Negari vel exteriùs nunquam poteſt vera Religio, absque labe graviſſimi mendacii;*
V. *Quod Chriſto injurioſum,*
VI. *Eccleſiæ verò pernicioſum,*
VII. & VIII. *Ex uſu perpetuo Eccleſiæ, præſertim primitivæ graviter vindicatum probatur.*
IX. *Nec unquam ſimulari exteriùs poteſt falſa Religio.*
X. *Non tamen ſemper & ubique profitendi veram Religionem urget neceſſitas;*
XI. *Sed & hanc diſſimulare interdum licet.*
XII. *Prudentia moderatrix zeli, ne ultra doctrinæ divulgatio-*

gationem, multitudinis commotionem ardore intempeſtivo concitet.

XIII. *Imò in ſola etiam Religionis profeſſione, & doctrina diſpenſanda eadem varias attendit circumſtantias.*

XIV. *Actiones indifferentes & ad unum falſum cultum non determinatas permittit.*

XV. *Nunquam in veram Religionem peccandum diſſimulationis cauſâ, utì nec Apoſtolorum exempla evincunt.*

XVI. *Diſciplinæ verò leges diſſimulationem prudentem non impediunt.*

XVII. *Diſſimulatio, occultatio, & fuga interdum neceſſaria, ac præcepta;*

XVIII. *Etiam Paſtoribus Eccleſiarum,*

XIX. *Nec minùs Imperatoribus ac Dominis Territorialibus.*

XX. *Quando ſubditis diverſæ Religionis â Dominis Territorialibus poſſit quædam diſſimulatio imperari, remiſſivè.*

Libertate ſentiendi interiùs circa Religionem quamcunque generatim, tum circa diverſas Religionis Chriſtianæ ſectas, in quas miſerè aberrante hominum malitiâ & infirmitate diſcerpta dignoſcitur, hactenus ſatìs, utì videtur, impugnatâ & convulsâ, nunc libertatem exteriùs Religionem quamcunque profitendi & exercendi ſecundùm

dùm eadem fori interni principia examinamus ; Cùm Religio neceſſariò hæc duo complectatur : Scilicet fidem internam, & reliquas virtutes internas fide hâc velut baſi & fundamento nixas, quibus homo Deo & Chriſto religatur, ſive conjungitur, & in quibus, tanquam veros adoratores in Spiritu & veritate conſtituentibus, primariò conſiſtit ; tum decentem & ordinatum cultum Dei exteriorem, cujus primas partes fert ejusdem fidei profeſſio, ut homo ex corpore & animo compoſitus utroque etiam ſe totum Deo mancipet, illíque Corporis ſimul & animi ſacrificium & obſequium rationabile offerat.

II. Unde præter internam Religionem haud dubiè neceſſariam eſſe ejusdem externam profeſſionem, docet Apoſtolus *Rom. 10. v. 10. Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Et S. Auguſt. *Lib. de Fide & Symb. cap. 1. Fides*, inquit, *â nobis duplex officium exigit, cordis & linguæ.* Neque enim ſingulis & particularibus tantùm hominibus, neque exiguo populo fidem & Religionem ſuam propriam Chriſtus voluit, ſed omnibus Nationibus illam præparavit, quæ omnes unitæ in fide invicem & charitate, in conſociationem quandam pariter externam coirent, quæ ipſamet Eccleſia dicitur, ſive cœtus fidelium eâdem fide & colendi Deum ratione unitorum ; ex quo planè conſequitur, veritatem hanc ſummè neceſſariam, & omnibus paratam, ſemel agnitam interiùs in injuſtitia detineri non poſſe, & præter communem illam fidem & Religionem internam, etiam externam quandam fidei, amoris, reverentiæque

ſuæ

ſuæ erga Deum teſtificationem requiri, quâ ſolâ & illi debitus ab homine ex anima & corpore compoſito cultus præſtetur, & hæc ipſa ſocietas aut congregatio tanquam inter homines conſtituta, externa, & viſibilis coadunetur, augeatur, & contineatur.

III. Quemadmodum verò idem Chriſtus ideas internas fidei & Religionis nequaquam liberas & arbitrarias, aut ad cujuslibet fanaticum concipiendi modum efformandas voluit; ità nec liberum reliquit, quem quisque modum exteriorem colendi Deum, utut retentis in mente veris ideis, tenere & obſervare velit; ſed nonniſi uni illi, quæ tanquam ſola inter omnes vera internum mentis aſſenſum ſibi vendicat, etiam hunc correſpondere, veritas ejusdem cultûs Divini, quæ eſt ipſa interioris cum exteriori conformitas, expoſcit.

IV. Nunquam igitur negare exteriùs veram Religionem corde ſuſceptam, aut aliam diverſam profiteri licet. Mendacium enim hoc eſſet maximè probroſum, eóque exitialius, quò ipſa Religio veritas eſt omnibus aliis præſtantior, imò una neceſſaria, ad Deum ipſum ſalutémque noſtram pertinens: Hujus veritatis ac Dei ipſius inimicum, utut exteriùs tantùm, ſe fingere, profectò non magis apud Deum impunitum relinqui poteſt, quàm parùm ille læſæ Majeſtatis Regiæ culpâ & pœnâ vacabit, qui diſcurſu tantùm liberiori, fundatæ de rebellione concitanda ſuſpicioni anſam daret: adeò nimirùm ſacra eſt Majeſtas Regia, ut nec tangi temerè absque vitio poſſit. Neque in oculis etiam Dei, qui quidem cor pri-

primariò intuetur, & renes ſcrutatur, interiora cordis penetralia recta eſſe poſſunt, dum exterius in alteram partem claudicat; neque poſſibile eſt negare Deum ore, niſi & corde negetur; cùm ex ipſo corde execrandum illud negandi exteriùs propoſitum procedat, ut fruſtrà ſit, qui cor Deo, ejúsque veritati integrè addictum cauſatur, dum lingua erubeſcit, infidæ uxori haud abſimilis, quæ, dum Corpus extraneis proſtituit, cor integrum, omnémque affectum ſuum marito addictiſſimum jactitaret. Nimirùm ſicut, qui exteriorem cultum ſine interno habet & oſtentat, hypocrita audit; ità qui interiorem jactat, dum externum detrectat, mendax eſt, & turpis impoſtor.

V. Ulteriùs negationem illam veræ Religionis etiam merè externam quàm graviſſimè Divinæ Majeſtatis honori detrahere, præter ipſam mendacii probroſiſſimi indolem hìc expoſitam, pœnæ quoque â Chriſto intentatæ acerbitas commonſtrat, dum præmiſſo mandato ipſum confitendi coram hominibus, *Matth. 10. v. 33.* negaturum ſe eum coràm Patre ſuo minitatur, qui ipſum negaverit, utut non in corde ſuo, ſed vel coràm hominibus: Ac prætereà in corde ſuo retinere velle unicam veram Religionem, exteriùs verò negare, aut falſam profiteri, hujusque ritus colere, & idem facere, quod faciunt falſæ Religionis aſſeclæ, perinde eſſe dicit Paulus, ac velle participare menſæ Domini, & menſæ Dæmoniorum.

VI. Injuriam verò Religioni & Eccleſiæ veræ â ſe agnitæ non minorem inferunt, qui & conſortes ſuos plu-

rimùm ſcandalizant, & alios extraneos ab eadem vera avertunt, & in falſa ſua confirmant turpi hâc fictione; quâ veritatem â ſe agnitam in injuſtitia detinent, & ità exteriùs ſe gerunt, quaſi approbent peregrinam Religionem, cujus falſitatem agnoſcunt, & in fundo cordis ſui condemnant. Lethiferum profectò venenum hi aliis propinant, quod priùs guſtare, ac delibare ſe fingunt; eo duntaxat fine, ut alii inde haurire ac inebriari non reformident, atque ità mortem animæ ſibi inviti licèt ac inſcii, ſecuriores tamen adſciſcant, & in ſua vel impietate, vel errore firmiores perſiſtant.

VII. Quam ob rem & vera Eccleſia, & reliquæ etiam Sectæ ſollicitæ ſemper fuerunt, ut exterior Religionis profeſſio & exercitium nonniſi cum fide interna conſentiret, & ſuas quælibet formulas ac ſymbola propoſuerunt, ſecundùm quæ profeſſio fidei eſſet edenda; quâ in re vel ipſorum Apoſtolorum, vel Succeſſorum exemplum Chriſti Eccleſiam eſſe ſecutam cum aliis Patribus antiquioribus teſtatur Rufinus *Lib. de Expoſit. Symb. ad Laurent.*, ibíque hunc eundem finem Symbolorum edíſſerit, inquiens: „Id enim fecerunt Apoſtoli in his „ſermonibus in unum conferendo, quod unusquisque „ſenſit. Judicium autem vel ſignum idcircò dicitur, „quia in illo tempore, ſicut Paulus Apoſtolus dicit, & in „Actibus Apoſtolorum refertur, multi ex circumeunti„bus Judæis ſimulabant, ſe eſſe Apoſtolos Chriſti, & lu„cri alicujus vel ventris gratiâ ad prædicandum profi„ciſcebantur, nominantes quidem Chriſtum, ſed *non in„tegris traditionum lineis* nunciantes. Idcircò iſtud indi-

„cium poſuerunt, per quod agnoſceretur is, qui Chri-
„ſtum verè ſecundùm Apoſtolicas regulas prædicaret.
„Denique & in bellis civilibus hoc obſervari ferunt,
„quoniam & armorum habitus par, & ſonus vocis idem,
„& mos unus eſt, atque eadem inſtituta bellandi, ne-
„qua doli ſubreptio fiat, Symbola diſtincta unusquisque
„Dux ſuis militibus tradit, quæ latinè ſigna vel indicia
„nuncupantur, ut ſi fortè occurrerit quis, de quo dubi-
„tetur, interrogatus Symbolum prodat, ſi ſit hoſtis, vel
„ſocius. „ Et ſubſequentibus ſæculis, ubi controverſiæ circà fidem enatæ (quarum plures tantùm dogmata non fundamentalia quibusdam dicta reſpiciebant) in Conciliis definitæ fuerunt, ſimul quoque Symbolis velut ſimplici, brevi, & plenâ epitome eædem veritates hoc fine comprehendebantur, ut ſicut internus mentis aſſenſus nonniſi uni doctrinæ ibidem deciſæ conformandus erat; ità huic interno aſſenſui exterior conformaretur profeſſio, quâ fideles in uno eodémque ſenſu perfecti, etiam unâ eâdémque profeſſione partim ab aliis Religionibus ſe diſcernerent, partim inter ſe ſubſtantialem illam Religionis veræ unitatem conſervarent.

VIII. Adhæc tantum facinus antiquis Patribus viſa eſt fidei negatio, etiam quâ vita temporalis redimeretur, ut plures Eccleſiæ in idololatriam tantùm exteriùs lapſis etiam pœnitentibus abſolutionem Sacramentalem in extrema vitæ periodo denegandam duxerint; ubi verò iis indulta eſt pax, conceſſa non fuerit, niſi exantlatis per plures annos & nonnunquam per integrum vitæ curriculum graviſſimis pœnitentiæ laboribus, ùt S. Cy-

 prian.

prian. *Lib. de lapſis*, & ſancita Concilii Nicæni primi ac Eliberitani Canonibus diſciplina teſtantur.

IX. Neque ſola hìc verba attenduntur, ſed & facta, ut ejusdem criminis læſæ Religionis reus ſit, qui falſam factis ſimulaverit, quàm qui veram verbis negaverit. Hoc ſolum fuit, quod in Libellaticis (iis videlicet, qui â Magiſtratibus numeratâ pecuniâ libellos redemerant obedientiæ impiis Imperatorum edictis præſtitæ teſtes utut falſos) altero & tertio Eccleſiæ ſæculo graviſſimè vindicatum, in Helceſaitarum, juxta alios Helcæitarum, ac poſteà Priſcillianiſtarum Hæreſi juſtiſſimè condemnatum noſcitur, & tanquam enorme adeò malum viſum fuit, quod nec ulla ipſius veræ Religionis utilitas ùtùt evidens (fingi autem & prætexi tantùm plerumque aſſolet) cohoneſtare, aut compenſare poſſet. Eò enim certè ordinata charitas ſe non extendit, ut medium hoc ex indole ſua damnabile, Deo & veræ Religioni injurioſum, & propriæ ſaluti juxta effatum Chriſti adeò pernicioſum juſtificet, quod inſuper potiùs ad plures pravo exemplo ſubvertendos, & in errore confirmandos natum eſt, quàm vel unius converſioni promovendæ opportunum. Hypocritas hi & mendaces ſuî ſimiles facient, nunquam veros ex fundo cordis Chriſtianos. Quapropter & Sedes Apoſtolica anno MDCXLIII. proſcripſit meritò praxin quorundam apud Sinas Miſſionariorum, qui eâdem facilioris converſionis ſpe ſibi præfiguratâ decepti, adorationem Idolorum externam Chriſtianis licitam aſſerebant, modò adorantis intentio dirigeretur ad verum Deum, depictum in imagine, quæ vel ſub adorantis veſtibus, vel in altari propè idolum

latita-

latitaret; ſicut nec eadem cauſa juſtam cultûs Confutii condemnationem penes eandem Sanctam Sedem remorari, aut impedire potuit.

X. Quantùmvis autem ſemper, & in omnibus circumſtantiis deteſtabile crimen ſit, vel veram Religionem negare, vel falſam profiteri, imò & ſimulare ejusmodi ſignis & factis, quæ vel ex natura ſua, vel ex Lege, vel conſuetudine ſunt ſigna Religionis diſtinctiva, & ad profitendam falſam Religionem inſtituta; non tamen ſemper & in omnibus circumſtantiis ipſamet veræ Religionis profeſſio præcepta eſt, ſed in iis duntaxat caſibus, ubi honor Dei, Eccleſiæ utilitas & ſalus propria & proximi id exigit, quando nimirùm interrogatus de fide taceret, & ex hoc ſilentio crederetur vel non habere veram fidem, vel illam falſam reputare, aut alii per ejus taciturnitatem averterentur â vera fide, aut propter ſcandalum in periculo deficiendi ab eadem verſarentur.

XI. Extra has circumſtantias econtrà ipſamet gloria Dei, utilitas Religionis, & Eccleſiæ, ac ſalus proximi ſæpiùs prudentem & de ſe honeſtam diſſimulationem permittit, aut potiùs non raró exigit; & cùm veritas quidem non in injuſtitiâ detinenda, cum prudentiâ tamen etiam diſpenſanda ſit, quoad res de ſe indifferentes & ſigna non proteſtativa Religionis, ſed diſtinctiva Nationis, ætatis, aut conditionis tempori & Nationi ſeſe accommodare jubet. Nec enim Chriſtus hoc prohibet, dum fugam & ſuî occultatationem â facie perſequentium verbo & exemplo ſuaſit, atque in Nicodemo, & Joſepho de

Arimathea, aliíſque occultè in eum credentibus non reprehendit, dummodo impiæ perſecutorum Sectæ nec conſilio, nec operâ ſeſe adjunxerint.

XII. Nimirùm in veritate exſerenda, erroribúſque inſectandis, qui præſertim potentiâ & multitudine fulciuntur, maxima prudentiæ habenda eſt ratio, ſine cujus ductu vel ipſæ virtutes ad actionem deductæ in vitia degenerant. Æquitas nos jubet ea ſilere, vel omittere, ac diſſimulare, quæ nihil publicæ rei proſint, ſed multùm & privatæ & publicæ noceant. Non enim ità prodeſſe reipublicæ quisquam voluerit, ut eodem ipſo tempore, eodémque beneficio graviùs eidem noceat. Veritas nonniſi opportuno tempore, loco, & zelo prodenda. Nihil verò periculoſius ipſi veritati, veræque Religioni & Eccleſiæ, quàm immoderatus, indiſcretus, & intempeſtivus ardor, qui larvam zeli induit, ſed ſecundùm ſcientiam & prudentiam non eſt: imò plus hic ſæpiùs obfuit, quàm iners & meticuloſus torpor. Laudanda fortis innumerabilium Chriſtianorum in ſæculis Eccleſiæ prioribus patientia; attamen diſſimulandum non eſt, inter ipſos etiam fuiſſe nonnullos, quos in flagrantiſſimo veritatis & Religionis zelo prudentia defecit. Non contenti ſanctiſſimam Religionem rationum robore defendiſſe, & ſuperſtitionem Ethnicam ſcriptis & voce fugiendam denuntiâſſe, quod veritatis cultores reverâ decebat ſæpiùs; Gentilium quoque idola comminuere, fana & cultum profanum palàm irridere, ipſóſque Ethnicos Magiſtratus ultrò irritare non dubitârunt. Hinc auctæ interdum perſecutiones, & multorum fides & vi-

ta in diſcrimen adducta. Vix uſquam magis iſta zeli immoderati incommoda patuêre, quàm in Perſiâ, imperante Orienti Theodoſio Juniore, ubi ob conciliatam Arcadii Imperatoris induſtriâ, & Theodoſii comitate conſervatam Perſarum amicitiam maximè tum floreſcere cœperat Chriſtiana Religio, ſed in ipſo veluti flore ſuo immani Isdegerdis Regis & Succeſſorum perſecutione funditùs ferè exciſa. Tot autem mortibus, cædibus, templorum Chriſtianorum excidiis & funeſtis Religionis incommodis cauſam dedit unius culpa: Audas nempè, aliis Abdas, Epiſcopus, vir cœteris virtutibus illuſtris, ſed prudentiâ non ſatis inſtructus, & tempori zelum ſuum attemperare neſciens, Pyreum ſive templum Gentilium ignis adorationi deſtinatum evertit; quod cùm idem â Rege ad ſedandam multitudinis exulceratæ commotionem juſſus reſtaurare recusâſſet, tum in ſe, tum in reliquos fratres, atque in cuncta Chriſtianorum templa ejusdem iram concitavit. Reprehendit Theodoretus intempeſtivam hanc templi everſionem, & Sancti Pauli exemplo refellit, qui Athenis ingentem Altarium falſis Diis erectorum numerum videns, & errorem illorum refutâſſe contentus, evertendi illa tempus necdum illuxiſſe, ſapienter admodùm judicârit. Laudat tamen eundem, quòd mortem potiùs oppetere fortiter maluerit, quàm reſtaurando templum, impietatis ſe auctorem facere, idem eſſe ratus, ignem adorare, & igni templum exſtruere. Conferri hanc in rem meretur Canon LX. Concilii Eliberitani, Mendozæ & Aguirrii commentariis illuſtratus, qui jam dudum ante Audam vetuerat, Martyrum loco & numero haberi eos, qui idola frangentes

occiſi

occiſi fuerunt. *Siquis*, inquit, *idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quatenus in Evangelio ſcriptum non eſt, neque invenitur ſub Apoſtolis unquam factum, placuit in numero eum non recipi Martyrum.*

XIII. Porrò etiam nudam veritatis propalationem absque omni facto ſeditioſo eadem prudentia tanquam virtutum omnium moderatrix dirigit, ac regulas illas ſufficit pro diverſitate circumſtantiarum, quibus in locis, temporibus, rebus, & queis perſonis diſſimulatio interdum neceſſaria, interdum expediens, interdum licita & permiſſa ſit, quin aliquid contra conſcientiam fiat, aut unicæ veræ Religionis officia & leges lædantur. Hâc moderante & duce accommodare ſe oportet perſonis, ne incautè margaritæ projiciantur ante porcos, & ſancta profanorum ludibriis ac furori exponantur, ipsíque veræ Religioni, ùt mox dictum fuit, gratìs hoſtes concitentur, nec tamen etiam infirmis ſcandali anſa præbeatur; & eædem cauſæ docebunt, quando vel tempori vel loco hinc inde ſit cedendum.

XIV. Attendit ulteriùs prudentia etiam res ſive actiones illas, in quibus falſæ Religionis aſſeclis accommodare ſe liceat; ut nunquam ejusmodi actiones aut ſigna externa permittat, quæ ex inſtitutione ſua vel morali exiſtimatione hominum per circumſtantias loci, temporis, perſonarum determinata, unam ſolam moralem ſignificationem cultûs peregrini & falſi habent, ſed illa tantùm, quæ ambigua ſunt ac indifferentia, & vel politicum obſequium hominibus præſtitum denotant, vel fi-

nem

nem merè politicum habent. Illuſtre rei hujus exemplum præbet *Lib. 4. Reg. c. 5. v. 17.* Naaman Syrus, qui quidem noto Eliſæi Prophetæ prodigio â lepra mundatus ſanctè promiſerat, nonniſi unum verum Deum Israël â ſe adoratum iri; nihilominùs & poſthac in Syriam reverſus Regem in templo Remmon adorantem & brachiis ſuis innixum incurvato, ùt antea, proprio corpore ſuſtentare perrexit, nec invito Prophetâ: ſiquidem & ipſimet Naaman, & omnibus Syris, qui aderant, perſuaſum erat, incurvationem illam Corporis famulatum eſſe politicum, & obſequium civile, quod ex officio politicæ ſuæ dignitati annexo exhibebat Regi non in templo ſolùm, ſed etiam extra templum in omnibus locis, in quibus functiones merè civiles & politicas ſolenniter pertractabat. Pariter notum omnibus planéque perſpectum erat, Naaman Judæorum Religionem palàm profiteri; ac proinde nec ipſe Deo Remmon cultum aliquem exhibebat, nec exhibere â Syris cenſebatur; utpote quem facto, vel verbo adeò non probavit, ut potiùs Religionis falſæ errores, cultum, myſteria & cæremonias deteſtaretur. Idem & Valentinianus, Theodoreto teſte, præſtitit, qui Julianum in templum Fortunæ ſæpiùs quidem comitatus fuerat, ſed vel ſemel aquâ luſtrali â Sacerdote Ethnico conſperſus eâ ſe pollutum non tantùm audacter proclamavit, ſed & gravem alapam Miniſtro reddidit, exilio propterea â Juliano mulctatus.

XV. Adeò nimirum in hac diſſimulatione cavendum eſt, ne unquam falſa Religio approbetur, aut ad-

mittatur quidquam, quod propriæ Religionis Legibus & officiis repugnet. Sed & hìc ſeparandæ ſunt Leges ad ſolam diſciplinam, vel politiam exteriorem ſpectantes ab iis, quæ intrinſeca Religionis & ipſum dogma attingunt. Ità mirum non eſt, quòd Paulus omnibus omnia factus, Judæis Judæus fuerit compaſſione miſericordiæ, non ſimulatione fallaciæ, ùt ait ſanctus Auguſtinus, non mentientis aſtu, ſed compatientis affectu, utendo nimirùm cæremoniis Veteris Legis Moſaicæ jam tum abrogatæ, & Timotheum circumcidendo; ſine Lege verò iis, qui ſine Lege fuerant, abſtinendo ſcilicet ab eisdem cæremoniis, quæ Gentiles concitare potuiſſent; & ſic cum infirmis infirmatus ſit, eorum infirmitati ſe accommodando, utrisque charitatem, quam debebat, & poterat, impertiens de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. *Rom. 14. v. 15.* & *1. Corint. 8.* Legalium enim obſervatio priore ſaltem Eccleſiæ Chriſtianæ ſæculo res fuerat, quæ ad diſciplinam merè externam pertineret, eò fine ab Apoſtolis proviſoriè & interimiſticè retenta, ut Judæi â Sanguine & ſuffocato vel carnibus animalium ſuffocatorum maximè abhorrentes faciliùs in unam Eccleſiæ Societatem cum Gentibus, quæ iſtis utebantur, coaleſcerent, & ob honorem Legis Moſaicæ, quæ â Deo lata fuerat, ut Synagoga ſecundùm phraſin Sanctis Patribus uſitatam honorificè ad ſepulchrum deduceretur. His liberè & absque ſalutis neceſſitate, ſed tantùm ex conſuetudinis ſolennitate ſe ſubjiciebant Judæi, qui Chriſtianæ Religioni nomen dederant, & proinde quoque Apoſtoli cum Judæis agentes, â quibus tamen agentes cum Gentilibus omninò ſibi temperabant:

At

At ubi dogma ipſum de neceſſitate legalium attingi, aut periclitari vel leviter videbatur, inſolitâ illud conſtantiâ Paulus prædicavit tum variis Epiſtolarum ſuarum locis, tum maximè cordatâ illâ Sancti Petri reprehenſione. Quò ultrà faciunt elegantes profectò regulæ illæ, quas idem Apoſtolus *1. Corinth. Cap. 8.* & *Cap. 10.* ſuppeditavit, lectione & collatione hìc omninò dignæ.

XVI. Unde nec illa diſſimulatio veritati internæ Religionis repugnat, quâ interdum vel omittuntur ea, quæ præcepta ſunt, vel committuntur, quæ prohibita ſunt Legibus veræ illius Religionis, ſed ad meram diſciplinam ſive politiam externam ſpectantibus, Juri autem Divino aut Naturali per veram illam Religionem expoſito & declarato nullatenus adverſantur, dummodo ipſum dogma illarum ſervetur illæſum & intactum, idque nec verbo, nec facto negetur, nec ſcandali anſa præbeatur. Ex quo pronum eſt deducere, non peccare eum, qui ad fidem diſſimulandam, accedente gravi causâ, carne veſcitur diebus prohibitis in iis circumſtantiis, ubi hæc comeſtio tanquam ſignum explorandæ Religionis, vel profitendæ falſæ fidei nec imperatur, nec determinatur, nec ſine gravi periculo aut incommodo omitti poſſet; quod grave periculum excuſat haud dubiè â Lege Eccleſiaſtica: præcepto autem fidei planè non repugnat, cùm eſus carnium die prohibito non ſit profeſſio Sectæ contrariæ, neque abſtinentia â carnibus ab Eccleſia inſtituta ſit, ut per eam Catholicus ab Acatholico dignoſcatur, aut profeſſio fidei inde fiat, quod & Proteſtantibus ſatìs notum. Aliquam verò quorundam deceptionem ob gravem cau-

ſam interdum permittere fas eſt, modò abſit ſcandalum & contemptus veræ Religionis, qui revera ſubeſſet, ſi in ſignum explorandæ Religionis carnes apponerentur.

XVII. Nec minùs perſonarum hâc in diſſimulatione diſcrimen habendum : ſunt enim infirmi, qui ſæviente perſecutione dum non fugiunt, ubi poſſunt, ſæpè gravi ſe tentationi exponunt, ac proinde tanquam temerariæ præſumptionis rei â Sanctis Patribus jure ac meritò condemnantur : Imò omnes fragilitatis humanæ memores, ſibíque conſcii potiùs horum è numero ſeſe cenſere deberent. Unde præceptam eſſe diſſimulationem & fugam, S. Athanaſius ex eo oſtendit, quòd homines ignari ſint temporis â Divina providentia ſibi conſtituti, in manibus autem Dei ſint ſortes hominum, cujus ſit occidere & vivificare. Et in *Apolog. pro fuga ſua* : „Quapropter, inquit, Sancti fugientes ſeſe occultabant, „& per diſpenſationem ùt Medici in uſus indigentium „reſervabantur : Reliquis autem & in univerſum om„nibus ea lex propoſita eſt, ut fugiant, dum in perſecu„tionibus appetuntur, & occultent ſeſe, dum quærun„tur; neque præcipites ſint, temerariíque in tentando „Domino, ſed expectent, donec definitum moriendi „tempus advenerit, aut Judex ille, quod ſibi rectum „videatur, de iis conſtituerit; ſed tamen nos ſemper pa„ratos eſſe voluit, ut vel vocante tempore, vel appre„henſi pro Eccleſia uſque ad mortem dimicemus. Hæc „beati Martyres temporibus perſecutionum obſervâ„runt. . . . Quodſi quidam ex iis ſe perſecutoribus de„didêre, non temeritate eò rapiebantur, ſed paſſim apud „om-

„omnes profitebantur, â Spiritu Sanĉto hanc prompti„tudinem, ſuîque oblationem profectam eſſe. „ Alias neceſſariæ ejusmodi diſſimulationis & fugæ rationes in charitate fundatas addit S. Petrus *Chryſolog. Serm. 151.* „Martyr comprehenſus debet tenere conſtantiam, non „comprehenſus debet fugere perſequentem, ut & per„ſecutori indulgeat reſipiſcendi tempus, & ſibi tempus „non auferat ſupplicandi. Perſecutorem, qui provo„cat, facit; corrigit, qui declinat. Orandum eſt, fugi„endum eſt, ut ille, qui per ignorantiam furit, ſane„tur; & ille, qui patitur, de patientia palmam habeat, non ſubeat de temeritate diſcrimen. „

XVIII. Paſtores quoque debent quidem populo, uti cœterarum virtutum, ità & maximè Chriſtianæ fortitudinis exemplum præbere inſtante perſecutionis tempore; nihilominùs poſſunt & ipſi cum Sanĉtis Athanaſio, Cypriano, Blaſio & aliis non tantùm ſe occultare, ſed etiam, deſerto grege, fugere, ſeipſos ſervando Eccleſiæ, cùm eosdem ſpecialiter impetit perſecutio; modò tamen ſuperſint alii Miniſtri, qui gregis ſaluti per Divini verbi prædicationem, & Sacramentorum adminiſtrationem conſulere poſſint. *Quicunque* (ait S. Auguſtinus *Epiſt. 180.* ad Honoratum) *iſto modo fugit, ut Eccleſiæ neceſſarium Miniſterium,* ſine quo ſcilicet greges vivere nequeunt, *non deſit, facit, quod dominus præcepit, ſive permiſit.* Tum enim nec ſui officii, nec Religionis veræ leges infringunt, nec mercenariorum labem incurrunt, & cùm populo neceſſarii ſint ad veræ Religionis incrementum, & fidei propagationem; plus boni ex eorum

ſuga, providâ diſſimulatione & occultatione, quàm glo-riosâ, ſed præcoci morte in Eccleſiam redundat. Id-ipſum laudibus eximiis extollit in fuga S. Cypriani Pon-tius Diaconus in Vita ejusdem : „Benè, inquit, Benè „tunc & verè ſpiritualiter contigit, quòd vir *tam neceſ-„ſarius*, tam multis & tam bonis rebus â Martyrii con-„ſummatione dilatus eſt. . . . . Fuit verò formido illa, „ſed juſta ; formido, quæ Dominum timeret offendere, „formido, quæ præceptis Dei mallet obſequi, quàm ſic „coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides „divinis admonitionibus mancipata credidit ſe, niſi Do-„mino latebram tunc jubenti paruiſſet, etiam ipsâ paſſi-„one peccare. „

XIX. Eadem major veræ Religionis utilitas Impe-ratoribus perſuaſit, ne inopportunè ac intempeſtivè eo-rum ad veram Chriſtianam Religionem tranſitus tranſpi-raret cum ingenti rei Chriſtianæ periculo, & Gentilium præpotentium offenſa, atque exulceratione ; quo & aliis Imperantibus ac Principibus â parentum & ſubditorum ſuorum Religione ad veram Catholicam & unicè ſalvi-ficam transeuntibus exemplo fuerunt, quantâ & his cir-cumſpectione & cautelâ in certis circumſtantiis, exigen-te ità veræ Religionis ipſius utilitate, utendum ſit in pro-fitenda exteriùs, & publicanda ſua Religione recèns ſu-ſceptâ.

XX. Denique cùm diſſimulatio quædam Religionis ſecundùm principia omnium Religionum permiſſa quan-doque ſit & licita, nec conſcientiæ repugnet ; acceden-

te

te Lege Magiſtratûs in certis circumſtantiis præcipi illam haud dubiè poſſe Subditis diverſæ Religionis utut toleratæ & legibus aliàs receptæ, in Diſſertatione altera oſtendetur, dummodo eos intra limites lex illa contineatur, nequid injungat, quod ipſis principiis Religionis Subditorum & conſcientiis repugnat.

CAPUT VII.

Perſpectâ Sacræ Scripturæ obſcuritate, humanæ Rationis infirmitate, ac Spiritûs privati incertitudine, Eccleſiæ â Chriſto conſtitutæ, & authoritatis in eadem publicæ convenientia & neceſſitas deducitur.

SUMMARIA.

I. *Rationi humanæ ad revelationis Divinæ aſſenſum adſtrictæ inquirendum eſt, quæ ſint vera & revelata Religionis Chriſtianæ dogmata.*

II. *Via hæc agnoſcendi plana, tuta, omnibus cognita, & nemini inacceſſa eſſe debet.*

III.

III. *Sacram Scripturam omnes Chriſtianorum Sectæ admittunt.*

IV. *Etiam Catholici ſummam illi deberi fidem & reverentiam, credunt, & profitentur.*

V. *Sola tamen non ſufficit, & in multis obſcura difficulter intelligitur.*

VI. *Teſte experientiâ tot controverſiarum, quæ ex ipſa natæ, per illam verò ſolam nunquam terminatæ, nec terminabiles ſunt.*

VII. *Neque Rationi humanæ imbecilli, etiam ſcientiarum ſubſidiis inſtructæ ſatìs fidendum.*

VIII. *Neque Spiritus privatus varius & incertus rem conficit.*

IX. *Hæc via non cognita, nec communis omnibus ; & incerta firmiſſimum fidei aſſenſum non ſuſtinet.*

X. *Veritates Religionis omnibus expoſitas Chriſtus vult ab omnibus certò cognoſci.*

XI. *Unde de via alia certiore non eſt deſperandum.*

XII. *Via perſuaſionis ſive authoritatis in rebus Hiſtoricis neceſſaria, etiam in rebus Fidei & Religionis eſt accommoda.*

XIII. *Schola igitur Chriſtianæ Religionis, in qua tradatur, & conſervetur, â Chriſto conſtituenda fuerat, quæ dicitur Eccleſia;*

XIV. *In qua non merè pædagogica inſtructio, ſed & auctoritas publica & judicativa requiritur;*

XV. *Sicut & in profana Republica præter Leges, earúmque Interpretes requiritur Judex authoritate publicâ munitus.*

XVI. *Authoritatem illam hominibus accommodatam, ab omni tamen errore immunem;*

XVII. *Unde nec ſimpliciter Divinam, nec ſimpliciter humanam, ſed humanam divinitus directam,*

XVIII. *Ac ulteriùs perpetuam eſſe, convenit.*

XIX. *Concluſio hinc deducta Capitum mox ſubſequentium materiam aperit.*

CUm luculenter ex hactenus dictis innoteſcat, ſuppoſitâ revelationis Divinæ exiſtentiâ, atque ſufficienti notitiâ, tam internas fidei & Religionis ideas, quàm externam ejusdem profeſſionem, ſive generatim, ſive ſpeciatim liberas & arbitrarias eſſe non poſſe; ſed præ aliis omnibus Chriſtianam, & inter Chriſtianas unam aliquam quoad omnia dogmata divinitus revelata neceſſariò eſſe interiùs amplectendam, & exteriùs profitendam; perſpectâ ſemel Religionis Chriſtianæ veritate ac Divinitate nequaquam acquieſcit humana mens, ſed ulteriori disquiſitione ſibi opus eſſe, porrò cognoſcit, ubi hanc in tot diverſas ſectas diverſis Orbis partibus hinc inde diſperſas, quarum quælibet ſua dogmata utut ab aliis quàm longiſſimè diſcrepantia, controverſa, & contradicta, à Deo tamen revelata eſſe contendunt, ſciſſam, diſcerptam & vix non comminutam intelligit, quò ſe vertat in hoc veritatis itinere prorſus ignara, de hac tamen invenienda, errore autem vitando non minùs ſollicita. Quamvìs enim omnes illæ Chriſtum adorent, ejúsque Evan-

gelium venerentur, in doctrina tamen illius explicanda maximâ inter ſe varietate ac diſſenſione diſcrepant, & quod una divinitus revelatum aſſerit, tenétque pertinaciter, aliæ velut commentum rejiciunt, atque condemnant. Unde ſi â Deo profectam ſeſe Religio Chriſtiana conſpicuis & indubitatis omninò ſignis oſtendat, Deus autem unitatis & pacis diſcordia & contraria revelare non potuerit; ſicuti fieri non poteſt, ut omnes iſtæ opiniones ſint falſæ, ità certum eſt, nonniſi unius dogmata eſſe poſſe vera & revelata, â qua una aberrare æquè periculoſum eſſe, ſuperiùs dictum fuit, quàm nullam ex Chriſtianis admittere.

II. Recta igitur ratio cuivis dictat, viam & hìc aliquam planam, certam, tutam, & nemini veritatis ſtudioſo inacceſſam aut incognitam eſſe debere, quâ revelata in Chriſtiana Religione divinitus dogmata â falſis & non revelatis dignoſcantur, atque ità ſolùm ad lucis & veritatis Divinæ regionem, non verò ad tenebrarum & erroris deſerta & invia omnes homines, quibus ſcilicet parata proſtat vera Chriſti Religio, ſecurè & absque periculo perveniant.

III. Viam hanc Sacram Scripturam non vanè prorſus exiſtimes, utpote quam omnes Religionis Chriſtianæ Sectæ admittunt, cujus tantam profunditatem, ſapientiam & perfectionem venerantur, ut nulla hominum ſcripta illi æquari poſſint aut debeant, ſed potiùs in ejus comparatione dicenda ſint faces extinctæ, niſi lucem ab hac mutuentur. Mirantur illam maximum Rationis hu-

manæ ſubſidium ſimul & frœnum; locupletiſſimum veritatis promptuarium, quo contineantur præcipua ſaltem revelatæ Religionis dogmata, & quid credendum, quídve agendum ſit; aurifodinam profundè admodùm ſtudio, prece, meditatione fodiendam, quâ reperiatur Chriſti doctrina: Ad hanc enim quis meliùs perventurum ſe, & ab errore longiùs abfuturum ſperet, niſi qui Sacrâ Scripturâ, id eſt, divinâ voce & luce regatur, dum certa illic ſe habere intelligit, & infirmum intellectum certiſſimæ revelantis Dei authoritati ſubſternit?

IV. Neque graviorem ſibi injuriam irrogari poſſe, exiſtimant Catholici, quàm dum contemptûs Sacræ Scripturæ accerſuntur & inſimulantur, qui eâdem omnes ſententiâ & fide infallibilem ejus authoritatem, veritatem Divinam nullo errore miſtam non tantùm deprædicant, ſed & profuſo ſanguine tueri paratos ſe profitentur, ac tuendam eſſe docent; Legem illam ſuam, ac regulam fidei, morumque normam, ad quam omnis de Religione Chriſtiana excitata quæſtio expendenda, & ex ejus oraculis dirimenda ſit, ſuſcipiunt, firmiſſimè credentes, quæcunque verè & evidenter ſacris iis in libris habentur, & nihil credendum affirmantes, quod iis verè & evidenter adverſetur.

V. Veruntamen præterquàm, quòd doctrina Chriſti plura credere jubeat, quæ tamen in Sacris Scripturis expreſſa non ſunt, quòd textus ipſe earundem in controverſiam vocatus ſæpè â pluribus fuerit, quòd non originale ipſum, ſed mera apographa longâ tantùm ſe-

rie ad nos tranſlata acceperimus, nec certò unquam ex ipſis Scripturis, illa fideli manu, & calamo non errante exſcripta fuiſſe, cognoſcere poſſimus; difficillimum inſuper eſt, verum earum & genuinum ſenſum aſſequi, & diſcernere, quænam dogmata ibidem contineantur, quæve ipſis repugnent; cùm tot obſcura & in ſpeciem contraria occurrant, in quibus aut facilè falli poſſumus, aut judicium ſaltem ſuſpendere cogimur: proùt teſtis eſt *S. Petrus Epiſt. 2.* in interpretandis Pauli epiſtolis multos errâſſe, eòquòd in iis ſint quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravent, ſicut & cœteras Scripturas ad ſuam ipſorum perditionem.

VI. Suffragatur eidem & experientia ſæculorum omnium ſole meridiano clarior, nullam fuiſſe tam impiam Hæreticorum quorumcunque ſententiam, quam non ipſi ſibi viſi fuerint ex Sacris Literis depromere, atque inde confirmare. Hodiedum videmus vel unam iſtam Chriſti Domini ſententiam: *Hoc eſt Corpus meum.* in ſenſus tam varios & planè contrarios ità tortam & ampliatam, ut ejus interpretationes ſibi invicem contrariæ omninò octoginta numerari ſoleant; quæ omnes controverſiæ â ſola Scriptura etiam ex aliis ejusdem locis, ùt prætenditur, clarioribus terminari nunquam poterunt, cùm de ipſa illa prætenſa aliorum teſtimoniorum claritate dubitatio & controverſia, ut paſſim fit, excitetur, & lex muta ſeu mortua ſemper ſit, quæ ſilet, cùm in varios ac contrarios ſenſus contorquetur, cujus ſententiam neutra litigantium pars, vel pro ſe, vel contra ſe latam, clarè intelligere valet; ſed quæque in priori ſuo

ſenſu

ſenſu antecepto immota perſiſtit, & interminabilis evadit controverſia : fideles omni vento doctrinæ circumferuntur, & fidem, quæ aſſenſum firmiſſimum ex eſſentia ac notione ſua exigit, in dubio ac in ſuſpenſo hærere, ac perpetuò fluctuare, neceſſe erit.

VII. Quàm parùm inſimul præſidii ab eruditis, perſpicacibus, ac linguarum Orientalium, Critices, aliarúmque ſcientiarum apparatu apprimè inſtructis Viris expectatur? Sancti Patres certè, qui ſcientiarum illarum ſubſidiis non vacui, & ipſi ſpiritum Dei habuerunt, unanimi conſenſu fatentur, ſuam Scripturis Sacris eſſe profunditatem, ſua myſteria, ſuam ſublimitatem, quæ vel ſapientiſſimos exerceat; Mare has immenſum dixerunt habens in ſe profunditatem ſenſuum, altitudinem propheticorum ænigmatum, ex quo omnes hauſerint, ſed adeò non exhauſerint, ut ſemper adhuc reſidua ſit abyſſus Sapientiæ & Scientiæ, quam adoremus, non comprehendamus, ut confiteri non erubuerint cum Sancto Auguſtino *Epiſt. 119. ad Januar. Cap. 21.* In ipſis Sacris Scripturis multò ſe neſcire plura, quàm ſcire. Alios verò Viros eruditione & ingenii acumine præſtantiſſimos in interpretandis iisdem ſacris Literis, atque in ſtatuendis earum ope graviſſimis Chriſtianæ fidei dogmatis errâſſe hactenus, & toto inter ſe cœlo diſſenſiſſe, nemo ignorat; nec quisquam miratur, qui attenderit humanæ Rationis infirmitatem, & errandi facilitatem, diſciplinæ fugam, pravas paſſiones, ambitionem, vincendi ſtudium, voluntatis perverſam indolem, ac cordis depravationem aberrationi mentis plerumque præviam, quâ plus novi-

tati & vanæ gloriæ, aut cupiditatibus, quàm veritati indulgeri, impenſiùs cœtui ſuo tuendo, quàm aſſequendæ Chriſti doctrinæ ſtuderi ſolet, ac potiùs in Scriptura præconceptæ jam opiniones inveniri, quàm illi accommodari, aut ſubjici volunt.

VIII. Cœterùm ſi hæc omnia eò tantùm ſpectare videantur, ut debitarum animi diſpoſitionum cum humili oratione conjunctarum, quibuscum Sacræ Scripturæ legendæ & perſcrutandæ ſint, neceſſitatem perſuadeant; quis unquam certus eſſe poterit, vel ſe, vel alium, cujus in tanto ſalutis negotio ductum ſequitur, iis cum dispoſitionibus ad Sacrarum Literarum ſtudium acceſſiſſe, ut Spiritu Dei doceri & inſtrui promeritus fuerit? Et licèt Deus mentem quoque privatorum illuſtrare, iísque arcana ſua revelare poſſit; nunquam támen ex privato illo Spiritûs inſtinctu ad Eccleſiæ ædificationem cognoſci poterit, quænam ſint dogmata illa divinitus in S. Scripturâ revelata; cùm enim tam varius, multiplex & contrarius â diverſis Spiritus ille jactetur, quorum nemo aut ſcientiarum ſubſidiis, aut debitâ animi diſpoſitione, induſtriâ, humilitate, orandi ſtudio, perfectâ indifferentiâ aliis cedere voluerit, nunquam alienæ mentis certitudo ex occulto hoc inſtinctu obſignatur, ut huic potiùs, quàm illi credendum ducam, qui Enthuſiasmos & inſtinctus ſuos mihi obtrudunt. In tanta rerum occultiſſimarum incertitudine quis unquam vel eruditorum firmiſſimum fidei aſſenſum fundare poterit?

IX. Hæc profectò via, vera Religionis Chriſtianæ dogmata â falſis ſecernendi, penes eruditos incertiſſima, & æquè ad errorem deducens, utpote merè humana, rudibus & infirmis, qui plures ſunt, impervia planè erit, & inacceſſibilis, quibus non idem eſt mentis vigor, & eruditionis copia; ſi nimirùm expendere priùs vellent, ac deberent tot ardua loca, unúmque cum altero conferre, & Interpretes diverſos perſcrutari; ad quæ præſtanda non ſolùm temporis multum, ſed immanis ſubſidiorum apparatus exigitur; quibus etiam præſtitis ipſimet eruditi aut dubitare, aut in oppoſitas abire ſententias hucusque perrexerunt. Aut ſerò, aut nunquam, aut ſemper nonniſi cum formidoloſa dubitatione prudens quisquam ſive ex eruditioribus, ſive ex imperitâ plebe perſuadere ſibi poterit, ſe germana Sacrarum Scripturum dogmata, iisque contrarios errores rectè intellexiſſe.

X. Idem nimirùm ex hactenus dictis de Libro Sacræ Scripturæ, quod & de Libro Naturæ, ſentiendum eſt: uterque res & veritates continet toti mundo cognoſcibiles & propoſitas, alias quidem claras & manifeſtas, alias verò, quæ magnam exigunt animi applicationem, alias, quas nemo comprehendit, aut comprehendi â ſe certus eſſe poterit: Sed magnum inter utrasque diſcrimen illud eſt, quòd illæ veritates in Libro Naturæ contentæ ità neceſſariæ non ſint, adeóque quoad illas mundus perpetuis diſputationibus meritò relictus ſit; ſed Religio Chriſtiana & vera ejusdem dogmata veritates ſint omnibus omninò hominibus ad ſalutem æternam conſequendam neceſſariæ: Et quis miſeram planè Chri-

ſtianæ

ſtianæ Religionis veritatem non inclamet, ſi, cùm omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire velit, omnibusque Evangelium prædicari, & ab omnibus ſuſcipi, mandârit Deus, ità ab eodem conſtituta fuiſſet, ut, quæ ſint vera ejus dogmata divinitus revelata, dignoſci faciliùs non queat, niſi per hoc arduum, incertum, tot jam erroribus obvolutum, impoſſibile omnibus, & ſemper periculoſum privatum Scripturarum examen?

XI. Sicut itaque ſtupenda præſumptio eſt, & mira illuſio, ſiquis exiſtimet, ſe poſſe proprio ingenio Sacras Scripturas clarè & absque erroris periculo intelligere, indéque certò vera revelata â Chriſto dogmata ab aliis falſis ſecernere, aut ſibi, aut aliis quibuscunque privatis de cœleſti afflatu Spiritûs Sancti infallibili, ac dono intelligentiæ blandiri velit, quod vel Apoſtoli licèt ſanctificati nonniſi poſt reſurrectionem Chriſti, nec niſi gratiâ omninò ſingulari habuerunt; ità econtrà nullam aliam breviorem, & accommodatam magìs omnibus hominibus viam admittere, aut inquirere deſperatio foret Deo clementiſſimo æquè, ac juſtiſſimo ad veritatem omnes vocanti, & in neceſſariis nunquam deficienti ſummè injurioſa. Id quod ſe agnoviſſe, teſtatur S. Auguſt. *Lib. de utilit. cred.* de priſtino ſuo, in quo errabat, ſtatu ità diſſerens: „Sæpè mihi videbatur, non poſſe inve„niri veritatem, magnique fluctus cogitationum mearum „in Academicorum (de quibus ſupra dictum fuit) ſuf„fragium ferebantur. Sæpè rurſus intuens, quantum „poteram, mentem humanam tam vivacem, tam ſaga„cem, tam perſpicacem, non putabam latere veritatem,

„niſi,

„niſi, quòd in ea quærendi modus lateret . . . . Huic „igitur tam immani difficultati, cùm de Religione quæ„rimus, Deus ſolus mederi poteſt, quem niſi & eſſe, „& humanis mentibus opitulari credimus, nec quærere „quidem ipſam Religionem debemus.

XII. Via verò, præter rationem, & immediatam Dei revelationem ſingulis factam, aut internum illum Spiritûs Sancti afflatum, ſola reſtat authoritas, quam ſuprà jam definivimus aut deſcripſimus vim illam, quam habet ad aliquid perſuadendum alterius narratio, interpretatio, aut expoſitio menti noſtræ communicata, aut famæ traditio non temeraria ad nos tranſiens per hiſtorias germanas, per majores & æquales noſtros fide dignos, pérque alia humani commercii ſubſidia. Ex hâc quæ veritatis notitia naſcitur, perſuaſio dicitur, atque â ſcientia diſtinguitur, ejus tamen interdum ponderis ac roboris eſt, ut firmitatem, aſſenſúmque in intellectu non minorem producere queat, quàm & ſcientia exigat. Atque in aliquibus diſciplinis humanis, & in Hiſtoria potiſſimùm uſum illam frequentiſſimum habere, nemo non ſentit; imò magnam non ſolum humanæ ſcientiæ, ſive eruditionis partem perituram, ſed etiam infinita homini atque hominum regimini impendere poſſe incommoda, prudens quisque probè intelligit; ſi nihil aliud credere, quàm quod Ratio in ſe invenit, vellemus, & nullam aliorum narrationibus & fidei fidem haberemus. Nec minor ejusdem in rebus fidei & Religionis neceſſitas eſt, cùm tota ex auditu ſit, & omnia ejus dogmata totidem facta ſint â Deo revelata, quorum veri-

tas alioquin non viâ Rationis, ſed Auctoritatis & perſuaſionis dignoſcenda eſt; Et inſuper omnibus hominibus, qubus parata eſt vera Chriſti Religio, eſt accommoda, quæ privatâ illos ſuâ induſtriâ, atque labore immenſo, cujus & pauciſſimi capaces ſunt, & exitus ſemper incerti ac periculoſi, eliberat. *Auctoritati enim credere*, ait Sanctus Auguſtinus, *magnum compendium eſt, & nullus labor. Lib. de quantit. anim. Cap. 7.* Et idem in *Lib. de utilit. cred.*, cùm res ad Religionem pertinentes ſint admodùm â ſenſibus remotæ, ſuppoſitâ etiam S. Scripturæ veritate, eas aliquo expoſitore indigere ità oſtendit: „Nulla, inquit, imbutus Poëtica diſciplina Terentianum „. . . . ſine Magiſtro attingere non auderes. Donatus „& alii innumerabiles requiruntur, ut quilibet Poeta poſ„ſit intelligi . . . tu in eos libros, qui quo quomodo ſe „habeant, ſancti tamen, divinarumque rerum pleni pro„pè totius generis humani confeſſione diffamantur, ſine „Duce irruis, & de iis ſine præceptore audes ferre ſen„tentiam; nec, ſi tibi aliqua occurrunt, quæ videantur „abſurda, tarditatem tuam, & putrefactum tabe hujus „mundi animum, qualis omnium ſtultorum eſt, accuſas „potiùs, quàm eos, qui â talibus intelligi nequeunt.„

XIII. Unde ſi Chriſtiana in mundo ſola vera eſt Religio; etiam ſcholam eſſe oportet, aut cœtum, ſive Societatem, in qua eam homines doceantur, & tradantur ea, quæ â Chriſto in eâdem ſint revelata. Hâc non admiſsâ, cùm ratio ex dictis non ſufficiat, ac Chriſtus ipſe ſingulorum Magiſter eſſe noluerit, ſed ab initio ſaltem aliquibus ea revelaverit; pronum eſſet accidere in rebus

audi-

auditis id, quod in ipſa accidere ſolet audiendi facultate, quæ inter reliquas ſentiendi facultates perficitur difficillimè, amittitur autem facillimè: Aut enim nunquam addiſceretur cœleſtis illa doctrina, aut citò amitteretur variis illi additis erroribus permixta. Cœtus autem ille dicitur Eccleſia, quod idem eſt, ac congregatio hominum ejusdem Chriſtianæ fidei, ejusdem veræ doctrinæ profeſſione, eorundem Sacramentorum participatione ſub uno Capite Chriſto, ac legitimis Paſtoribus coadunata.

XIV. Porrò neque etiam cœtu illo, in quo Religio â Chriſto revelata cuſtodiatur, cœleſtis ejusdem doctrina tradatur, & exponatur, conſtituto, ſatìs Divina providentia conſuluiſſet infirmitati & perverſitati hominum, ſi merè ſuaſiva & pædagogica ejusdem eſſet auctoritas, non autem publica in interpretandâ Chriſti doctrinâ, & dijudicandis diverſis illis ſenſibus, in quos â diverſis eadem trahitur, ac ſuper iisdem decretoriè juxta Sacram Scripturam tanquam legem & normam pronuntiandi facultas publica, cui omnis humana Ratio cedere debeat, ac ſeſe humiliter ſubmittere, ejúsque ſupremæ ſententiæ tandem ſtare & obſequi. Authoritatis enim publicæ vinculo niſi levis & inconſtans retineatur mens humana, nihil erit in cœtu iſto, ac in ipſa, quam tradit, Chriſti doctrina fixum ac ratum; unusquisque in ſuo ſenſu abundans ad arbitrium dogmata definiet, quæ tot futura ſunt, quot erunt hominum in cœtu illo exiſtentium capita; & cùm mera privata doctrina, aut perſuaſio id juris non habeat, ut alios in ſuam ſententiam per-

trahat, illo authoritatis publicæ vinculo ſublato æquè, ac ſi nullus eſſet cœtus â Chriſto conſtitutus, ratio humana ſibi permiſſa ex infirmitate & corruptione ſua in omne abſurditatum ac errorum genus, absque modo & facultate ulla inde emergendi, præceps ruere pergeret; id quod triſtis omnium ſæculorum experientia, & omnium profanarum diſciplinarum hiſtoria neminem hactenus ſivit ignorare.

XV. Sicut nimirùm in Republica civili & Politica benè ordinata, vitandæ confuſionis & perturbationis ergò, præter Legem & normam actionum civilium publicam auctoritas etiam publica ab ipſa Lege diſtincta requiritur, quæ Legem dubiam explicet, ad caſus particulares obvenientes applicet, & controverſias ſuper ipſa Lege excitatas dirimat; ità pari modo in cœtu illo ſive Eccleſia, quamvìs Scripturam agnoſcamus omnes velut certam & indubitatam fidei & morum regulam, publicámque Religionis normam, hæc tamen ſi ſola fuerit, aut pædagogica tantùm charitate ſuadeatur absque viva & ſpirante, eâque publica authoritate judicandi & interpretandi, nequaquam ſufficit tot & tam quotidianis, quæ circa doctrinam â Chriſto revelatam, imò ipſam Sacram Scripturam uberrimè ſuccreſcunt, quæſtionibus & contentionibus, maximè per tenacia adeò præjudicia invectis & radicatis, dirimendis & ultimatò dijudicandis, proùt hæc omnia fuſiùs deducta videre eſt in Diſſertat. de Jure Reform. antiquo. Artic. IV.

XVI.

XVI. Ut tamen illa authoritas ſufficiat, ac publicæ nomen mereatur, & omen impleat; debet eſſe hominibus, & naturæ ac indoli cœtûs modò memorati, utpote Societatis viſibilis & inter homines conſtitutæ accommodata, & Sapientiſſimo Dei homines per homines inſtruere volentis conſilio proportionata, quam omnes facilè cognoſcere, & per illam ad veritatem indubitatè pervenire poſſint. Inſuper verò etiam ab omni errandi periculo debet eſſe remota & infallibilis, ut omnibus absque læſione juſtitiæ, quæ cuilibet jus evitandi erroris tribuit, obſequium mentis ſive intellectûs rationabile imperare circa ea, quæ divinitus revelata declarat & proponit, atque omnem pertinaciam, ſive omnem altitudinem extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei reprimere poſſit. *1. Cor. 10. v. 5.*

XVII. Quamobrem ipſamet ſapientiſſima Divinæ Providentiæ œconomia exigebat in cœtu iſto conſtitui auctoritatem nec ſimpliciter divinam quia, hominibus accommoda, nec ſimpliciter humanam, quia certiſſima & erroris omnis neſcia, & circa Religionem, quæ tota ſupernaturalis & negotium ac opus Dei eſt, ex ejusque libera prorſus voluntate ac inſtitutione pendet, occupata eſſe debebat; atque ità humanam quidem, ſed divinitùs directam, atque hominibus non tantùm â Deo communicatam, ſed & infallibili Divini ejusdem Spiritûs aſſiſtentiâ ac inerrantiæ dono munitam eſſe oportebat. Qualem ipſemet Sanctus Auguſtinus (quem ſuprà jam optimum credendi ſimul & ratiocinandi Magiſtrum laudavimus) ex eadem provida Numinis Religionem re-

velantis & ad eam omnes homines obligantis Sapientia infert *Lib. de utilit. credendi Cap. 16.*, ac iſto dilemmate evincit: Ibi. „Sola eſt authoritas, quæ commovet ſtul„tos, ut ad Sapientiam feſtinent. Si enim Dei provi„dentia non præſidet rebus humanis, nihil eſt de Reli„gione ſatagendum: Si verò conſcientia Deum quæren„dum monet; non eſt deſperandum, ab eodem ipſo „Deo authoritatem aliquam conſtitutam eſſe, quâ velut „*gradu certo* innitentes attollamur in Deum.

XVIII. Ulteriùs eadem authoritas ſemel in Eccleſia Chriſti conſtituta, perpetuò in eadem eſt neceſſaria; & cùm oporteat, ſpectatâ infirmitate, corruptione ac pertinaciâ Rationis humanæ, eſſe hæreſes, oportet & tribunal eſſe perpetuum, quo dijudicentur & damnentur. Neque mortalium ſcelera eò uſque crevêre unquam, aut creſcere poſſunt, ut aut Divinam tranſcendant clementiam, aut ejus providentiam, promiſſa & voluntatem fraudent, ſanctam illius Religionem & Eccleſiam evertendo penitus & abjiciendo. Vitia ſiquidem merè perſonalia ſunt & ſingulorum, ſuis tantùm auctoribus obfutura, non autem toti generi humano, cui vera Chriſti Religio parata, imò præcepta eſt: Si igitur æternùm duratura eſt Eccleſia, quæ Sanctiſſimæ illius Religionis ſit cuſtos; neceſſe eſt etiam, ut ibidem Veritas æternùm duret, & vera ſemper, non falſa dogmata tradantur. Nam ſi Eccleſia errorem in dogmate rebúsque fidei credat, & alios doceat, aut ab aliis in doctrinam Chriſti invectum probare poſſit; non erit, cui in poſterum tutò fidat populus indoctus, imò & ipſa Eruditorum Respublica;

publica; Nemo veram ſe tradere jactet Religionem, ſuúmque cœtum verè Orthodoxum appellet, quando dubium ſuboriri perpetuò poteſt, an is cœtus errori obnoxius errorem hauſerit, & falſum doceat; Nemo ſibi arroget germanam Sacrarum Scripturarum interpretationem, nemo ſibi perſuadeat, ſe earum ſenſum & dogmata rectè aſſequi, ubi Eccleſia ipſa â Chriſto conſtituta deficere, erroréſque adoptare poſſit. Si denique Ratio humana demùm poſtremò & ultimatò cognoſcere vellet, an Eccleſia errârit, & num rectè, an ſecus interpretata ſit Sacras Scripturas; nonne in eundem labyrinthum reincideremus? Si infirmiſſimum hoc, omni authoritate deſtitutum, ac infidum tribunal foret; quis litigandi finis, quanta & quàm perpetua perturbatio & confuſio in Eccleſia Chriſti, quam velut ſuum & Veritatis Regnum præ omnibus operibus ſuis perfectiſſimam voluit; quanta hominum ad eam vocatorum miſeria & infelicitas, qualis Religionis unitas & firmitas?

XIX. Quam ob rem ſi nec tutum, nec planum ſatìs ad unicam veram Chriſtianam Religionem â falſis ejus Sectis diſcernendam iter eſt privata illa dogmatum diverſarum Sectarum inter ſe collatio, & ad Sacræ Scripturæ, aut potiùs ad ultimatam infirmæ Rationis humanæ, utut ſcientiarum ſubſidiis inſtructæ, ſuper ipſa Sacra Scriptura judicium affectantis trutinam diſcuſſio; minùs verò cœleſtis quidam afflatus expectari poteſt, ſed authoritate demum vivâ publicâ opus eſt; eadem hìc via terenda eſt, quæ & ſuperiùs homini ſalutis ſuæ & veritatis ſtudioſo præſcripta fuit, ut facilè ac tutò Chriſti-

anæ

anæ Religionis veritatem â non Chriſtianarum falſitate diſtinguat. Extrinſeca ſigna, ſive argumenta credibilitatis & hìc præſtò ſunt, quæ notæ & characteres veræ Eccleſiæ dicuntur, ut evidenter comperiatur, quæ vera & germana ſit inter tot Chriſtianorum Sectas hæreditas & Eccleſia Chriſti. Et ſicuti cognitâ Sanctitate & Divinitate Religionis Chriſtianæ hæc una prudenter amplectenda eſt, cœteræ ejurandæ, idque credi prudentiſſimè poteſt, & neceſſe eſt credere, quod ab ipſa proponitur, etiamſi aut intrinſecæ rationes non afferantur, aut ſuperare captum humanæ Rationis credenda deprehendantur; ità ubi ex notis illis evidenter patuit, quæ ſit vera Chriſti Eccleſia, in hujus unius ſinum, cœteris Chriſtianorum falſis ſectis repudiatis, prudenter confugere poſſumus ac debemus, & quæcunque ab ipſa traduntur, utut â quibusdam diſſidentibus in controverſiam vocata, indubitatè ac firmiſſimè credere, ut diſſidentibus aſſentiri liberum ac impune non ſuperſit. Id unum igitur humanæ Rationi inveſtigandum reſtat, quænam ſcilicet ſit vera hæc Chriſti Eccleſia inter tot falſas, & hâc cognitâ, utì facilè ex notis, ſive ſignis ſuis ab homine ingenuo & veritatis amante cognoſci poteſt, difficile haud erít, nec imprudens, dogmata vera â Chriſto revelata â falſis dignoſcere, & abſque ulteriori quocunque examine amplecti.

CAP. VIII.

CAPUT VIII.

Sola Eccleſia Catholica veluti Divinitus inſtituta characteribus externis perſpicuis â reliquis Chriſtianorum cœtibus diſcernitur.

SUMMARIA.

I. *Ingredienda priùs via authoritatis Eccleſiæ, quàm via diſcuſſionis dogmatum.*
II. *Hæc omnibus debet eſſe cognoſcibilis,*
III. *Et cognoſcitur ex notis ſive argumentis extrinſecis.*
IV. *Unitas character eſt Eccleſiæ divinitus inſtitutæ.*
V. & VI. *Quod ex ejusdem difficultate colligitur.*
VII. *Facilior eſſe videtur in reliquis Chriſtianorum cœtibus.*
VIII. *Eâdem tamen carent, utpote authoritatem publicam, & unum Caput negantes;*
IX. *Huic penes Catholicos non obſtat opinionum Scholæ varietas.*
X. *Nec immoderatus privatorum Doctorum hæreſeos notâ ſe invicem proſcindentium ardor, licèt vitio non careat.*
XI. *Catholica eſt ſola Eccleſia, quæ ſubeſt Epiſcopis Romano Pontifici, velut Capiti, conjunctis.*
XII. *Ob ejus diffuſionem per univerſum Orbem,*

XIII. *Ob converſionem Gentium ab ea factam, & continuum diſſidentium quorumcunque ad eam reditum.*
XIV. *Cui nomen Catholicæ, utì & antiquæ ſervatum fuit.*
XV. *Diffuſio æquè,*
XVI. *Ac antiquitas cœtûs iſtius ingens veritatis ejus argumentum præſtat.*
XVII. *Quod inductione Hiſtoriographorum illuſtratur.*
XVIII. *Inde & Apoſtolica debet eſſe vera Eccleſia ob perpetuam Epiſcoporum Apoſtolis ſuccedentium ſeriem.*
XIX. *Quâ carent alii cœtus;*
XX. *Qui nec extraordinariam, quam deberent, miſſionem probare poſſunt.*
XXI. *Catholica verò Eccleſia facilè illam oſtendit.*
XXII. *Sanctitas eſt inſignis veræ Chriſti Eccleſiæ nota, quæ ſaltem negativè,*
XXIII. *Imò & cùm aliis coniuncta & comparativè ſpectata affirmativè illam demonſtrat, proùt exteriùs ſe manifeſtat.*
XXIV. *Sanctitas doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ, & cultûs Deo digni,*
XXV. *Præceptorum, quæ divina tradit, & quæ poſitiva ſtatuit,*
XXVI. *Mediorum, quæ ſuppeditat,*
XXVII. *Et morum, queis vivitur; de qua dubitare non ſinit proceſsûs Canonizationis rigor & circumſpectio.*
XXVIII. *Sanctitati Eccleſiæ nec vitia multorum, nec invectæ praxes Curiæ obſtare poſſunt.*
XXIX. *Miraculorum vis, remiſſivè.*
XXX. *Sæculis V. et VI. ea adhucdum viguiſſe conſtat.*

XXXI. *Poſteriorum Sæculorum permulta luculentâ hiſtoriarum fide probantur.*

XXXII. *Non tamen omnia indiſcriminatim & leviter credenda.*

XXXIII. *Neque particularium quorundam falſitas obeſt Eccleſiæ.*

XXXIV. *Sufficit major probabilitas, ex his ſignis evicta.*

XXXV. *Perſpectis hiſce ſignis omnis dubitatio de Veritate Religionis iis inſignitæ excluditur.*

QUi Chriſto, ejúsque veræ Eccleſiæ nomen dare, & vera Chriſtianæ Religionis dogmata divinitus revelata â falſarum Sectarum erroribus diſcernere voluerit; ei via authoritatis Eccleſiæ primùm ſequenda, non autem via discuſſionis & examinis doctrinæ nimis prolixa, incerta & periculoſa inveſtiganda, adeóque incipiendum non eſt ab examine dogmatum per Sacram Scripturam demonſtrandorum, ut inde ad certam Eccleſiæ notitiam perveniatur, ſed â cognitione veræ Eccleſiæ, ut ab iſta veram & genuinam accipiat fidei doctrinam.

II. Parùm igitur eſſet perſpectam habere neceſſitatem cœtûs alicujus â Chriſto conſtituti, ſive Eccleſiæ, quæ vera Religionis Chriſtianæ dogmata tradat, & authoritatis cujusdam vivæ ac publicæ in explicanda absque er-

roris periculo Chriſti doctrina eidem communicatæ convenientiam; niſi & eandem omnis tam extraneus, quàm domeſticus in hac veluti domo Dei jam exiſtens â quacunque alia hominum Societate, quæ vel ipſam mentitur, vel aliquam certè cum ipſa ſimilitudinem præſefert, ex argumentis quibusdam prudenti aſſenſu dignis, & moralem quandam certitudinem evincentibus ſecernere poſſit, & invenire id, quod hoc in itinere explanandum potiſſimùm eſt, & unum rationi humanæ convenit, ubi nimirùm, & in quânam hominum Societate exiſtat vera illa Chriſti Eccleſia, â quâ ſolâ vera Chriſtianæ Religionis dogmata absque immenſo illo labore, & omni erroris formidine percipiantur.

III. Argumenta illa & hìc merè extrinſeca ſunt, & certa duntaxat ſigna ſoli veræ Chriſti Eccleſiæ inter tot diverſas propria, omnium ſenſibus expoſita, obvia & perſpicua, & Eccleſiâ ipsâ notiora, omni hominum generi & conditioni accommodata, & non ſolùm domeſticis fidei, ſed etiam extraneis veritatis unius ſtudioſis cognitu facilia, quæ, ſicut ſingularem ac particularem quandam Dei in una illa Societate gubernanda, conſervanda & perficienda providentiam teſtantur, ità eandem non quidem evidenter veram demonſtrant, adeò tamen evidenter credibilem reddunt, ut nemo prudens dubitare poſſit, hanc unam, notis & characteribus illis perſpicuis inſignitam, præ omnibus aliis eſſe germanam Chriſti Eccleſiam divinitus inſtitutam; & cùm nullum eorundem, aut ſi nonnulla, non tamen ſingula & omnia in alio Chriſtianorum cœtu collecta inveniantur, ac verificentur, præterquàm in ſola

Ca-

Catholica Romana Eccleſia, ùt mox patebit; etiam magno ingenio haud opus erit, ut hanc tanquam ſolam veram ex reliquis cœtibus dignoſcamus.

IV. Hæc inter meritò numeratur, & præcipuo quodam jure præfertur ſumma illa *Unitas*, tum doctrinæ, tum Regiminis, aut admirabilis illa Catholicorum in docendo perinde, ac credendo concordia: Spiritus ſanè Divinus utì unicus eſt in Natura, ſic in agendo nunquam non tendit ad unitatem voluntatum non minùs vinculo charitatis, quàm mentium vinculo fidei ac Religionis: qui cùm tanquam ſpiritus Unitatis diſcordia, contraria, & contradictoria revelare ſimul non potuerit; indubitatè quisque falſitatis ſententiam ferre eum in cœtum poterit, ex quo iſta in dogmatis fidei Unitas & concordia exulat. Ubi verò invenitur, ſicut tanta intellectuum humanorum cœteroquin omnis vinculi impatientium conſpiratio ſuis cum adjunctis conſiderata non poteſt non inter ſumma prodigia numerari; ità manifeſtum ſuppeditat argumentum veræ Religionis & Eccleſiæ, utpote edoctæ & directæ ab eodem uno Sapientiæ & Scientiæ Spiritu; dum ſolus hic Naturæ perverſæ Spiritum cohibere potis eſt, qui ſemper, in doctoribus maximè, impellit ad diſſenſionem, membrorum imprimis inter ſe, quæ æmulatio commiſerit in ingeniorum litibus cedere neſcia, tum membrorum dein â Capite, Auctore doctrinæ, aut Magiſtro, ob elationem Intellectûs definitionibus acquieſcere recuſantis.

V. Quid enim eſt uſpiam, quod difficiliùs ſe ſubjiciat, quàm ſenſus noſter, ac judicium? Poſſunt quidem Monarchæ militum, lictorúmque miniſterio efficere, ut fiat, quod volunt; ut autem eorum imperia probentur, ut juſta & provida judicentur, ne ab iis quidem impetrare poſſunt, qui faciunt, ut executioni mandentur. Tantò facilius eſt voluntates, quàm judicia populorum ſub jugum mittere. Hæc ſanè ut congenitum libertatis ſuæ plùs ſatìs liberæ jus tueantur, difficulter dignantur probare id, quod aliis ad eam diem probatum eſt. Et quanquam hoc omnium eſt, eorum tamen maximè, qui Literis exculti ſunt; quos inter vix ullus eſt, qui majori ſibi gloriæ ducat poſſidere, quàm invenire verum. Hinc nihil in ipſis pronius, quàm nova ſectari; & quorum Ingenii vis ad nova excogitanda ſe non porrigit, id ſaltem agunt, ut vetera aliter dicant, atque ità canos quodammodo Veritatis in primam lanuginem mutent. Cœterùm nec iſto contenti, tam propendent ad contradicendum aliis, ut hodie difficilius ſit, invenire doctum cum alio docto in omnibus planè opinionibus conſentientem, quàm globum, qui immotus alterius ſuperficiei puncto inſiſtat.

VI. Neque tanta hæc concordia in rudi vulgo minus admirationis habere poteſt: quod utì ſoli ſenſuum judicio aſſuetum, certiſſimas non raró ſcientiarum concluſiones numerat inter paradoxa; ità conſtanter vera reputare arcana tam inaudita & tam incomprehenſibilia, & ſupra omnes ſenſus ſe attollere non poſſet, niſi â ſpeciali Divinâ providentia ſuaviter & potenter diſponente

con-

con- & ſuſtineretur. Quod ipſum magìs prodigium commendat tanta rerum credendarum ſublimis obſcuritas, & actûs fidei firmitas; dum enim Intellectus aliàs ſuam ſecutus indolem rei aſſentitur nulli citra formidinem, niſi illa vel in ſeſe nullo medio manifeſtiſſima ſit, aut ex iis certè, quæ ipſa ſunt evidentiſſima, non fallibili & neceſſario nexu conſequatur; prodigiorum nequaquam poſtremum eſt, Ingenia acutiſſima, & florem Sapientiæ æquè, ac rude vulgus conſentire tamen in agnoſcendis dogmatibus conſenſione perpetuâ atque immobili, etſi illa tam ſint ſublimia, de quibus judicatur, & ipſe judicandi modus â ſolito tam ſit diverſus.

VII. Profectò ſi in aliis Chriſtianorum cœtibus, præter Catholicam Eccleſiam, conſenſionem ejusmodi obſervare eſſet; mira illa videri non deberet, utpote qui fidei, quæ in ſpectando tantùm & contemplando verſatur, arduitatem plurima ex parte tollunt, dum myſteria captu difficillima negant; fidei autem, quæ ad agendum tendit, difficultatem omnem auferunt, ac tantopere blandiuntur voluntatis humanæ prurigini, & pravis inclinationibus, cujus tanta in Intellectum vis eſſe dignoſcitur, ut eum impellat ad illud verum pronuntiandum, quod ipſa optat eſſe certiſſimum; id quod in Religione, cujus dogmata tam ſunt ſublimia, præcepta tam ſevera, locum habere non poteſt.

VIII. Verùm quanta, in majori hac ſecundùm ſpiritum humanum unitatis facilitate, apud eosdem tamen Religionum aliarum aſſeclas ubique regnat diſſenſio,

quan-

quanta doctrinæ, animorúmque diſcordia? vel ſolæ illorum Confeſſiones ac formulæ, quæ iis velut credendorum normæ exponuntur, quoties variatæ, & quàm ſibi diſſimiles prodierunt, ùtùt publico eorum judicio & conſenſu decretæ? Synodi ipſæ toties coactæ, ut litibus enatis modum ſtatuerent, in diſſenſiones deſierunt; ut nihil ſimile habere poſſit cum vera Chriſti Eccleſia tanta illa doctrinæ inconſtantia. Verbo: tot ferè Religiones penes illos deprehendere, & ex eorum methodo vera Religionis Chriſtianæ dogmata cognoſcendi inferre eſt, quot ſunt non modò Parœciæ, ſed quot capita, quot voluntates; Altiſſimo ſanè providentiæ Divinæ conſilio, quæ ad res omnes ſapienter gubernandas, præſertim verò ad præcipuum opus ſuum, Religionem ſcilicet, referendas attentiſſima, varias ac diverſas inter homines Sectas permittit, ut, ſicut aliàs de malis ſcit benè facere, ità & hæ omnes, mutuis inter ſe concertationibus, veræ Religioni ſerviant, ùt ignis arti famulatur chymicæ, tanquam operis illius maximè admirandi inſtrumenta; dum ſcilicet ſuâ varietate, Spiritu merè humano, & mutationi æquè, ac errori obnoxio, ac Spiritu potiſſimùm ſuperbiæ natas ſeſe produnt, qui, ſicut earum authores avulſit ab Eccleſia, ità etiam ſequaces ac Diſcipulos â ſuis Doctoribus avellat, efficiátque, ut Ducum exemplo & ipſi diſcant detrectare imperia, & alienum faſtidire magiſterium, ac potiùs ipſi novæ Sectæ Capita audire malint. Nec mirum: cùm nullam certam, firmam, ac ſtabilem vivámque habeant credendi regulam, ad quam fidem ſuam exigant; & ſublato authoritatis vinculo non ſuperſit, qui effrænem in interpretandis ad præconceptas jam

ideas

ideas Sacræ Scripturæ dogmatis opinandi licentiam firmiter ſatis coërceat.

IX. Habent hanc normam Catholici, qui Eccleſiæ definitionibus volentes lubentéſque ſenſa ſua ac opiniones ſubjiciunt. Et illi ipſi Doctores, qui circa quæſtiones Theologicas in Scholis opiniones quisque ſuas ſæpè non parum diverſas (ipſo Deo mundum ſuis diſceptationibus relinquente) ampleCtuntur, in iis tamen, quæ ad fidem pertinent, idem planè omnes ſentiunt, in una Eccleſiæ Petra, velut columna & firmamento veritatis, fixi & immobiles, & Angelo Apocalyptico haud abſimiles, qui cùm pedem unum in mare porrigeret, alterum in terra fixerat. Diſſident inter ſe, non autem diſſident ab Eccleſia Catholica: ſicut & filiorum ſub uno Patrefamilias rixæ aliquando ſunt; at reverentiâ & charitate patris matríſque ſoſpite: unde & mox filiorum etiam pax & charitas redintegratur. Si ambigunt in iis, quæ definita & eliquata nondum ſunt; ambiguitatis nihil admittunt in iis, de quibus jam decretoria ab Eccleſia pronuntiata eſt ſententia, parati ſemper ad opinionem quamcunque, utut amatam, repudiandam, quamprimùm certo & publico Eccleſiæ judicio fuerit condemnata. In opinionibus Scholæ integram tuentur libertatem, in dogmatis autem fidei perfectam tenent unitatem.

X. Dummodo & in opinionum diſcordia voluntatum inſimul concordiam ſemper retinerent, ſolliciti ſervare unitatem Spiritûs in vinculo pacis; & immoderato illi cenſurandi & hæretificandi pruritui, indiſcretíſque

P cen-

cenſuris temperarent, queis ipſis etiam Religionis Catholicæ adverſariis anſam præbent, hanc fidei & Religionis unitatem, notam ejusdem characteriſticam facilè principem cavillandi, ac inde diſſenſiones & errores circa ipſa fidei dogmata (quos hæreſeos nota ſibi invicem impacta denotat) inferendi, ut jure merito iis applices illud Sancti Gregorii Magni *Epiſt. 45. aliàs 39.* ad Theoctiſtam *Edit. nov. Tom. 2. pag. 1132.* „Sunt multi fidelium, qui „imperito zelo ſuccenduntur, & ſæpè dum quosdam „quaſi Hæreticos inſequuntur, hæreſes faciunt.„ Sed vitium hoc hominum eſt, partim immodico diſputationis æſtu, partim cœco Scholarum ſuarum merè humanarum, adeóque & fallibilium obſequio, aut pervicaci vanæ gloriæ, ſuarumque opinionum longiùs diffundendarum ſtudio plus æquo abreptorum, qui ipſi ſibi & menti reſtituti ultrò illas merè probabiles fatentur, & ad idem rurſus Unitatis principium & centrum recurrunt. Quemadmodùm & olim, qui ſibi mutuò ſuſpiciones & calumnias aſpergebant Hæreſeos Neſtorianæ, vel Eutychianæ, ii ad unum omnes utramque inſaniam execrabantur, utriusque authorem Neſtorium & Eutychetem damnabant, Eccleſiæ, quæ eos proſcripſerat, aſſentiebantur, Pontificibus, Sanctis Patribus, Conciliis in eas peſtes detonantibus conſentiebant. Componant ſe etiam Novatores ad hanc fidei, doctrinæ, & unitatis formam; & tum nec in iis unitatem doctrinæ deſiderabimus, nec negotium illis faceſſemus, ſiquibus obliquioribus ſuſpicionibus vel exagitent ipſi Catholicos, vel ab his ipſi exagitentur. Prudentiæ, juſtitiæ, & charitatis læſæ tum rei audire poterunt, ſi homines de hominibus malè aliquid & per-

perperam ſentiant, & loquantur; unitatem fidei non diſſolvent, dum cœtera cum Eccleſia ſentiunt omnia, ſapiúntque.

XI. Accedit & *Catholicitas* ejusdem Societatis ſub uno Supremo Capite viſibili coadunatæ, quæ, utì Unitatem illam ſupponit, imò includit, ità & præ reliquis admiratione dignam magìs commendat; quòd ſcilicèt ejus doctrina, quam tantâ conſenſione tradunt Magiſtri, tantâ conſtantiâ tenent Diſcipuli, Catholica ſit, ſive univerſalis, id eſt, ubique, & ab omnibus, ſive ab omni hominum & Nationum genere, & ſemper, ſive omni tempore credita. Quæ inſignis prærogativa nulli ſanè alteri Religioni inter Chriſtianas convenire poteſt, aut unquam convenire oſtenditur, præterquàm ſoli hactenus dictæ Catholicæ, quæ communionem cum uno Supremo Capite, Romano Pontifice, profitetur. Id vel ex ipſa nominis Catholici Etymologia inferre pronum eſt, quod unum Corpus latè diffuſum denotat. Reliquæ enim omnes Sectæ, ſicut collectivè ſumptæ unum quoddam non conſtituunt, toto nimirùm cœlo â ſe invicem diverſæ; ità ſingulæ, ſeorſim ſpectatæ, non ſunt diffuſæ per univerſum orbem. Sola autem Catholica plures ſub ſe continet Eccleſias particulares, per totum quidem terrarum Orbem ſuis ſub Paſtoribus diſperſas; cùm tamen omnes ejusdem & unius fidei profeſſione, eâdem ſubſtantiali Deum colendi ratione, eorundem Sacramentorum participatione coadunatæ ſint, earúmque Paſtores omnes uni Supremo Capiti ſubordinati; meritò unam

 dicun-

dicuntur omnes illæ conſtituere Eccleſiam univerſalem, adeóque Catholicam.

XII. Hanc verò reapſe per univerſum Orbem, & ad omnes Nationes, licèt non ſtatim, ſucceſſivè tamen diffuſam fuiſſe, quis non videt? In primo ſtatim ſæculo *Epiſt. ad Rom. cap. 1.* jamjam teſtatur Paulus, fidem Romanam annuntiari in univerſo mundo, & *Coloſſ. 1.* fructificare & creſcere in univerſo mundo; In ſecundo ſæculo S. Irenæus fatetur, ad Romanam Eccleſiam propter potentiorem principalitatem omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos, qui undique ſunt, fideles. Pro III. idem teſtatur S. Athanaſius *Lib. de Incarn. Verbi.* Pro IV. S. Hieronymus *in Cap. 24. Matth.* Pro V. S. Auguſtin. *Epiſt. 78. ad Heſychium* &c. quam ſeriem Tanner. *in Anat. Part. 2. Demonſt. 3.* per ſingula ſæcula continuat. Et qui omnes orbis partes ad Americam, Japoniam, Chinam, Baraquariam, & Indiam uſque hodie luſtrare vellet, in ſingulis magnas Eccleſiarum Catholicarum acceſſiones facilè reperiet, partim aliis quidem Sectis, ſed diverſis permixtas, partim ſolas, ſed omnes cum uno Capite & reliquis ſuis Paſtoribus Epiſcopis communicantes.

XIII. Et, qui rei cardo eſt, nulla gens, aut Natio ex iis, quæ hactenus ex Gentilismo, & Paganismo fidem Chriſtianam receperunt, fuit converſa ad aliam, vel ab alia Eccleſia, niſi ad Romano-Catholicam, & â Romano-Catholica, quæ veluti fœcunda Chriſti Sponſa per ſuos ſemper Alumnos, & Viros Apoſtolicos in orbem miſſos fructi-

fructificavit & crevit, novóſque illi filios generavit. Neque Germania, & noſtri omnium Majores, ac vicina Regna aliam fidei Matrem agnovêre. Videatur Thomas Bozius *de Signis Eccleſ. Lib. 4.*, ubi ſingula ſæcula percurrens ſingulorum ferè populorum Apoſtolos, â Pontificibus Romanis ſubmiſſos, & cum his communicantes recenſet. Quos inter ſolos hìc commemorare lubet Sanctos Patritium in Hiberniam â Papa Cœleſtino Sæculo V, Auguſtinum in Angliam â Gregorio Magno Sæc. VI., Chilianum â Conone Papa Sæc. VII., Bonifacium ad Germanos paſſim & Friſones Sæc. VIII. miſſos, & alios IX. Sæculo Danorum, Suecorum, Bohemorum, Slavorum, Moravorum ſub Nicolao I. Pontifice Apoſtolos &c. Et in novitiis etiam noſtris ſæculis quis admirabilem illam fidei Catholicæ propagationem, indefeſſo vel unius tantùm Sancti Franciſci Xaverii Zelo factam neſcit? quam & varii aliorum cœtuum Viri zeloſi & Religioſi, ac inter reliquos Inclytæ Societatis JEſu Alumni feliciter, benedicente Domino, continuant. Oſtendant verò aliæ quæcunque Societates vel unam integram Gentem & Nationem Barbaram, præſertim ſuæ necdum Ditioni temporali anteà ſubjectam, quam â Gentilismo ad Chriſtum traduxerint. Tepidos illæ forſan Catholicos recenſere poſſunt ad ſe adductos, permultos quidem in particularibus quibusdam Regnis, ubi tum perturbatis illis ignorantiæ & corruptionis temporibus fervebat novaturiendi æſtus; nequaquam tamen ubique, nequidem in Germania; ut nec uſque huc gloriari poſſint cum Apoſtolo: Fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo. Imò poſt illum generalioris defectionis æſtum in aprico eſt, Prin-

cipes & Viros Illuſtres complures cum ſubditis non paucis ad Catholicam Eccleſiam reverſos eſſe; at è converſo Principem nullum, qui reſciatur, in Catholica Religione natum & educatum, aut notabilem Provinciam novis Religionibus ibidem ſe deinceps aggregâſſe. Res ſanè animadverſione digna! quòd ad Religionem Catholicam magìs ſemper adultam & antiquam novæ jugiter accedant coloniæ; in cœteris verò â Catholica Religione diverſis cœtibus, quò magìs â novitate aliàs placente recedere & ſeneſcere incipiunt, eò majores ſemper defectiones ſubſequi, & ipſi, teſte experientiâ uſque ab exordio Eccleſiæ perpetuâ, in Arianis præſertim, Neſtorianis, & Eutychianis valdè potentibus, cum ſenio velut obſoleſcere dignoſcantur, ſuperſtite reliquiâ eorum potiſſimùm, qui educationis & conſuetudinis præjudiciis ſunt imbuti.

XIV. Quapropter & ſingulari providentiâ Divinâ factum videtur, ut hoc nominis Catholici decus, quo vera Chriſti Eccleſia ab Apoſtolis, Conciliis, & Patribus ſemper honorata atque diſcreta fuit, Eccleſiæ Romanæ ſervatum, proprium, & characteriſticum remanſerit; proùt & ſola hujus Eccleſiæ Religio in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ Catholica, eidémque addicti plusquàm octuagies nuncupantur Catholici; ſicut & ſola hæc eadem tam in Transactione Paſſavienſi, quàm in Pace Religioſa antiqua, non unâ tantùm vice, ut latenter irrepſiſſe videri poſſit, ſed conſtanti elogio compellatur; quia ſcilicet hæc ſicut ubique & in omni Nationum genere, ità & ſemper extitit, & nullo non ſæculo inde ab

Apoſtolorum ævo ad hoc decimum octavum uſque, teſte eâdem antè allegatâ hiſtoriæ ſerie, propagata.

XV. Chriſtum Dominum verò ubique per univerſum terrarum Orbem diffuſam, & in omnes gentes extenſam voluiſſe ſuam Eccleſiam, adeóque illam, quæ hâc prærogativâ gaudet, veram eſſe, ipſa etiam Veteris Teſtamenti oracula & Vaticinia, ex ipſis Judæorum codicibus probata, quibus magnâ ex parte Chriſtianæ Religionis evidens credibilitas oſtenditur, teſtantur: ubi nimirùm palàm fit, veram Chriſti Religionem prædicandam eſſe in omnes gentes, incipiendo ab Hieroſolyma, & in omnem terram exiturum eſſe Apoſtolorum ſonum, & in fines orbis terræ verba eorum. Scholam proinde illam Religionis ſuæ publicam, ſive Eccleſiam omnibus Gentibus expoſitam eſſe voluit, non in unico mundi angulo concluſam, ùt Synagoga Moſaica fuerat, quæ non debebat eſſe, niſi Schola privata particularis Judæorum Religionis, quæ ſoli Abrahami familiæ ad conſervandam luculentiùs, & præmonſtrandam per varias cæremonias veræ fidei etiam in Lege Naturæ aliis revelatæ veritatem, præcepta fuerat, non autem alienigenis, qui ad eandem accedere quidem poterant, neutiquam tamen tenebantur. Atque id debebatur magnitudini Dei, qui, ùt totam, quanta eſt, rationalem Naturam ad honorem ſuum condidit; ità par erat, etiam â tota agnoſci, & in omni lingua, in omni mundi parte, in omni Natione eſſe, qui eundem vero ac legitimo cultu venerarentur.

XVI.

XVI. Prætereà quemadmodum Immenſitati & Magnitudini Dei Religio vera per omnes Orbis provincias propagata, ità & ejusdem æternitati eadem tanquam *antiqua* & omnium temporum Religio reſpondeat, neceſſe eſt. Uni huic Religionis & Eccleſiæ antiquitati ſi inſiſti vellet; preſſiùs inde Novatores omnes urgeri poſſent. „Ex ipſo quippe ordine manifeſtatur, ait *Tertull. Lib. de* „*præſcript. Cap. 31.*, id eſſe dominicum & verum, quod „priùs traditum; id autem extraneum & falſum, quod „poſteriùs immiſſum. Veritas ſemper antiquior & prior eſt errore: Vetuſtas ſanè novitati præferenda, ubi de dogmate aut vero Scripturarum ſenſu lis eſt inter quosdam recentiores 15. aut 16. ſæculis, & alios uno aut tribus tantùm ſæculis ab Apoſtolorum ævo remotos, imò ipſis Apoſtolis ſuccedentes. Hìc enim non agitur de conſtituenda Religione ſecundùm arbitrium noſtrum, aut de intelligendis atque explicandis Chriſti dogmatis & Literis Sacris, proùt ingenio noſtro magìs arridet; ſed agitur de ſuſcipienda, aut retinenda Religione, quam Chriſtus, certiſſimus veritatis Magiſter, revelavit, & de intelligendis & exponendis codicibus ſacris, quemadmodum â Chriſto, & ejus Apoſtolis intellecti ſunt, aut expoſiti. Nemo autem credendus eſt hìc magìs ſcire, quàm qui aut Apoſtolos prædicantes, aut Apoſtolorum Succeſſores audire, & quæ falſa, quæ vera forent, probè callere potuerunt & debuerunt. Econtrà nemo minùs in his audiendus, quàm qui, tot ſæculis ab Apoſtolorum ætate remoti, unum ſuum ingenium judicem ſibi conſtituunt in tanti momenti rebus, & ſibi nuperis credi potiùs poſtulant, quàm cœtui antiquiori, & Chriſto

ac

ac Apoſtolis propiori, ſemper hactenus conſervato, & ad nos uſque propagato.

XVII. Hæ igitur res non ex ingenio hominum, ſed unicè ex revelatione Dei, & inſtitutione Chriſti pendentes cum quæſtionibus hiſtoricis potiùs conveniunt, in quibus inter diſcordes quosdam, utut paris fidelitatis, judicii, ac eruditionis, & utrinque veroſimilia narrantes quisque Criticus antiquiori potiùs, quàm recentiori, multóque potiùs antiquiſſimo & Synchrono in comparatione admodùm novitii Scriptoris fidem adhibendam cenſet; quanquam vetuſtatem opinionum, utut aliquâ veneratione ferè ſemper dignam, non eſſe certum veritatis argumentum, nihil verius ſit in opinionibus ad Phyſicam, Aſtronomiam & alias nonnullas Artes ſpectantibus: cùm nullus ex antiquis fuerit falli neſcius, qui eos de veritate hujusmodi opinionum certiſſimos efficeret: Ingenium in his ſuum cuique pro Magiſtro erat, quo recentiores antiquis ſæpè non cedunt, imò illi iſtis nonnunquam antecellere poſſunt, majore nempè ſtudio, pluribúsque, quàm anteà adminiculis, experientiâ præſertim, ſuffulti; quis non videt, æquè in recentiorum, quàm in veterum placitis veritatem haberi poſſe, nihílque eſſe, quod ſupra nos majores noſtri ſibi tribuere poſſint in hujusmodi veritatum inquiſitione, niſi quòd ante nos inquiſierint, nobísque faciliorem ſtraverint viam ad veritatem ipſam inveniendam? Quid? quod ipſos recentiores, ſeneſcentis nunc mundi experientiâ edoctos, antiquiores potiùs his in Artibus ac rebus compellare licet, quàm veteres Philoſophos illius incunabulis propiores.

Quapropter nihil certè ideò verum eſt, quia ab antiqui oribus traditum; ſed in controverſiis inter Chriſtianos agitatis robuſtum veritatis argumentum, ſive, ut melius dicam, indicium veræ Religionis, aut Eccleſiæ eſt Antiquitas.

XVIII. Inde & tertia ſingularis veræ Chriſti Eccleſiæ ſequitur prærogativa, quòd verè *Apoſtolica* eſſe debeat, tum ob doctrinæ cum doctrina Apoſtolorum conſpirationem, quæ â vera Chriſti Eccleſia ex hactenus dictis eſt prorſus inſeparabilis, tum ob originis ſuæ antiquitatem ab Apoſtolis repetitam. Cùm enim ipſa illa doctrina â diverſis partibus in controverſiam vocetur; alter exterior & notior ipsâ doctrinæ veritate character in eo ſitus eſt, quòd communio cum antiquis & Apoſtolicis Eccleſiis in illa Religione, vel Eccleſia pleniſſimè oſtendatur, in qua continuata perpetuò Succeſſionis linea uſque ad Apoſtolos, & Apoſtolicas, ſive ab iis fundatas Eccleſias ducitur & demonſtratur. Hâc etenim velut telo fortiſſimo omnes Sancti Patres vel ideò pugnârunt contra omnes hæreſes, quòd ad prædicandam veram Religionem tanquam Divinam Divinâ etiam vocatione & miſſione opus eſſe, non tantùm Divi Pauli authoritate, ſed & ipsâmet ſanâ ratione ſuffragante, agnoſcerent. Hâc autem non probatâ, ùt ſupra jam aſſertum fuit, fides homini Novatori doctrinam quandam velut Divinam prædicanti fides meritò non habetur.

XIX. Sicut autem in Veteri Teſtamento filii Aaron ad Sacerdotium illud carnale Legis Moſaicæ per genera-

rationis duntaxat carnalis ſucceſſionem ordinariè vocati fuerunt; ità nunc temporis Epiſcopi & Presbyteri per impoſitionem manuum â legitimis Apoſtolorum divinitus miſſorum Succeſſoribus mittuntur & ordinantur. Hanc cùm reliquæ Sectæ ab iisdem non acceperint; ægrè certè ferre non poterunt, ſi Catholica ab iisdem petat omni jure, edi, & concludenter probari origines earum, & continuæ Succeſſionis ſeriem oſtendi cum *Tertulliano Lib. de præſcriptionibus Cap. 32.* Ibi. „Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum; evolvant ordinem Epi„ſcoporum ſuorum ità per ſucceſſiones ab initio decur„rentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſto„lis, vel Apoſtolicis Viris, qui tamen cum Apoſtolis per„ſeveraverit, habuerit auctorem & anteceſſorem. Hoc „enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt: „ſicut Smyrnæorum Eccleſia Polycarpum ab Joanne col„locatum refert; ſicut Romanorum, Clementem â Petro „ordinatum edit; proinde utique & cœteræ exhibent, „quos ab Apoſtolis in Epiſcopatum conſtitutos, Apoſto„lici ſeminis traduces habeant.

XX. Hâc igitur ordinariâ miſſione deficiente, extraordinaria tantùm illis ſupereſſe poteſt: ſed & hæc multò concludentiùs & efficaciùs probanda. Neque absque ſignis & miraculis certiſſimis, velut teſtimoniis Divinis, hæc firma ſatis ac tuta eſſe unquam poterit, queis Chriſtus Dominus ipſemet miſſionem ſuam Judæis probavit: Et cùm Sanctus Paulus nec miſſionem, nec Evangelium cum aliis Apoſtolis, nec per ipſos, nec per eandem viam accepiſſet; oportebat præter miracula, ut per Soci-

etatem & communicationem Collegii Apoſtolici, quod factum fuerat in cœlo, ratificaretur quodammodo in terris. Adeò ipſa etiam miſſio extraordinaria debet poni extra omnem ſuſpicionem. Et quis intolerabilem pauciorum quorundam Novatorum non dicat illuſionem, prætendentium idem prædicare Evangelium, dum introducunt novam doctrinam, novum miniſterium, atque omnia nova ſine miſſione, ſine authoritate, ſine communione cum legitimis Paſtoribus, & ſine miraculis, & vaticiniis?

XXI. Extraordinariæ hujus miſſionis probatione Catholicam Eccleſiam penitus eliberat continua illa & non interrupta Paſtorum ab Apoſtolis deſcendentium Succeſſio, quam ſingulæ etiam Eccleſiæ particulares facilè oſtendere poſſunt lineam ducendo â modernis Archi-Epiſcopis & Epiſcopis de Sæculo in Sæculum ad Majores & Progenitores ſuos uſque, qui partim ab ipſis Apoſtolis, partim ab Apoſtolicis Viris, eorum Succeſſoribus, miſſi easdem in fide Domini Noſtri JEſu Chriſti genuerunt. Imò quamvìs injuria temporum pluribus eripuiſſet ea Succeſſionis legitimæ documenta, ſufficit ipſa illa perpetua cum Sede Romana, utpote â Principe Apoſtolorum Petro fundata, in unitate fidei & charitatis vinculo communio; de cujus propptereà principalis Succeſſione ſolliciti magìs fuêre Ss. Patres, quàm de ſua propria, ut nec Irenæus Lugdunenſes Præſules, quos fuerat ſecutus, nec Euſebius Cæſarienſes ſuos Prædeceſſores, nec Epiphanius Salaminenſes, nec Optatus Milevitanos, nec Auguſtinus Hipponenſes in medium adduxerint;

ſed

ſed communi conſenſu, in uno ſolo Summorum Pontificum albo inſcribendo conſpirent, ſatìs ſuarum Eccleſiarum Apoſtolicitatem demonſtratam eſſe rati, ubi illius continuam Succeſſionem enumerâſſent, cujus ſuas eſſe membra gloriabantur. Ità Tertullianus in aureo ſuo, quem ſcripſit adverſus hæreſes, *Libro de Præſcription. Cap. 20.* loquitur: Ibi. „Apoſtoli Eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt, â quibus traducem fi„dei & ſemina doctrinæ cœteræ exinde Eccleſiæ mutu„atæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant; Ac „per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ùt ſoboles A„poſtolicarum Eccleſiarum. Omne genus ad originem „ſuam cenſeatur, neceſſe eſt. Itaque tot ac tantæ Ec„cleſiæ una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. „Sic omnes prima, & Apoſtolicæ, dum unà omnes pro„bant unitatem: dum eſt illis communicatio pacis, & ap„pellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis. Quare poſtulat ratio, ut tantæ credentium continuatæ multitudini, & tot Eccleſiis ſacri depoſiti ab Apoſtolis accepti cuſtodibus, antiquis, & continuâ Succeſſione Paſtorum ab Apoſtolis deſcendentibus, & concordibus potiùs adhibeatur fides, quàm uni Novatori, vel paucis ejus aſſeclis, herì, & in angulo natis, & ex ingenio ſuo cœleſtem doctrinam interpretantibus, & nulla ſigna adferentibus, quibus probent, aut ſeſe â Deo miſſos, aut Eccleſiam â recta ſententia deſciviſſe, aut novitiam ſuam doctrinam paucitate quidem cedere, ſanitate verò, ſive puritate Catholicis anteſtare.

XXII. Denique & *Sanctitas* haud obſcurum evidentis credibilitatis indicium præbet, illam ſcilicet Eccleſiam, quæ una ac ſola in terris ſancta eſt, unam etiam ac ſolam eſſe Divinam, ſive â Chriſto omnis ſanctitatis fonte inſtitutam; ſicut è diverſo illa Religio, quæ qualecunque impietatis genus complectitur & approbat, eum Auctorem habere non poteſt, qui cùm ipſe ſit in ſe Sanctiſſimus, non poteſt non eſſe Sanctiſſimus etiam in omnibus operibus ſuis. Divini profectò nihil in ea Religione arguas, cujus dogmata, ſi vera admittantur, homines â Virtute avertuntur, ad vitia ſollicitantur, aut aliquid indignum de Deo ſentitur, quin idcirco æternam vitam ſibi eripiendam credant. Exempli causâ: non pauca ejusmodi habere aliæ Religiones â Catholica diverſæ videntur, queis poſitis & admiſſis homo, ſi probè argumentetur, ad vitia deflectere velit, virtutibusque valedicere: Talia ſunt arbitrari, juſtificationem & gratiam ſanctificantem per nullum peccatum amitti poſſe, ità, ut nemo in gratiam â Deo ſemel receptus exinde, quanquam graviter peccans è gratia excidat; Juſtum quemvis firmiter credere, debere, ſibi Regnum Dei ne â peccatis quidem gravibus eripiendum; Juſtis impoſſibilem eſſe mandatorum Divinorum obſervantiam, conſiliorum Divinorum adimpletionem cultûs ſuperſtitioſi genus eſſe; Hominem ad malum neceſſitari; bona fidelium opera, peccata eſſe apud Deum, & alia hujusmodi &c.

XXII. At verò ſi invenimus Societatem, quæ præ omnibus aliis excellat in ſanctitate vera & Evangelica,

non

non licebit dubitare, eam eſſe veram Eccleſiam, ac Divinam. Et quamvìs ea Sanctitas prorſùs interna ſit, ac interiùs in animo latens, ſine quâ ipſamet externa umbra potiùs, larva, & hypocriſis ſit abominanda: eadem tamen, in effectibus ſuis, externis ſenſibus obvia eſt, & in cognitionem veræ Eccleſiæ, imò ipſius ſanctitatis internæ deducit, proùt ſcilicet potiſſimùm ſe exerit in dogmatibus, quæ credit, in præceptis, quæ ſtatuit, in mediis, quæ ſubminiſtrat, & in moribus, queis vivit. In quibus omnibus cùm ſola Eccleſia Catholica præ reliquis omnibus Sectis Dei ſanctitatem ſingulari quodam modo exprimat & imitetur, præ omnibus quoque divinam ſeſe atque â Chriſto conſtitutam oſtendit.

XXIV. Doctrina quidem Eccleſiæ Catholicæ Deo ſanè integrè & magnificè tribuit, quæ Dei ſunt, nihil inde ſubtrahens, nihil diſſonum aut indignum nec per conſequentiam attribuens, nihil, quod rectæ rationi repugnat, tradens; quod verò docet, quod Natura non aſſequitur, tam eſt conforme Divinæ magnitudini, ut ipſa, quam in iis credendis experimur, arduitas fide reddat magìs dignum: Rectè & gloriosè de Deo ſentit, magnificè loquitur, dignè illum colit. Si quas verò in ejus, utut puriſſimi Spiritûs, cultu cæremonias externas adhibeat, non alio illas fine adhibet, quàm ut decorum & majeſtatem cultûs Deo digni augeant, hominum mentes ad cœleſtia erigant, dignas Deo ideas in eorum animis excitent, ac ipſammet uſque juventutem Deo magìs, quàm ſæculo præforment. Auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium â Chriſto inſtitutum, & â Sacrificio Crucis ſolâ offerendi ratione diverſum quotidie Deo immolat; nec hoſtiam

lau-

laudis omittit, dum laudes Divinas publicas diu noctuque, exemplo Chriſti in oratione pernoctantis, & Apoſtolorum ſtatas orationis horas ſervantium, decantari per Miniſtros ordinat: devotionem quoque populi in laudando Deo, languentem interdum, diverſis mediis excitat & accendit; quæ quidem accidentalia, acceſſoria & humana tantùm ſunt, ad fovendam tamen cultûs Divini veræ Religioni ſubſtantialis efficaciſſima comperit; in quibus id unum approbat, quod a ſuperſtitione alienum, atque veritati & pietati conſentaneum invenerit, & judicaverit. Quò pertinent innumeræ ſolemnitates publicæ, comprecationes, & cœtus, quibus populus ipſo exemplo communi excitatur ad orandum, audiendum divina, & horas feſtorum in laudem Dei benè collocandas; tot conſociationes in fœdus aliquod pium collectæ, quæ ad ſectanda certarum virtutum v. g. miſericordiæ corporalis & ſpiritualis opera, ad expianda aliorum peccata, perjuria & blaſphemias, ad cuſtodiam caſtitatis, aut linguæ ſeſe obligant, & frequentibus exhortationibus, mutuisque orationum ſuffragiis juvant. Ulteriùs non contenta ipſum nôſſe, id egit omni ætate, ut cunctos rectè de eo ſentire doceret, agitque hoc etiamnum fide optimâ, & in terras adeò ſolâ ſuâ Barbarie notas eum unum in finem penetrat, ut hanc Dei notitiam, dignamque eum colendi rationem in extremos orbis fines perferat.

XXV. Præcepta quod attinet, ſicut nemo neſcit, nullam fuiſſe, aut eſſe Sectam, quæ non teneat viam latam, datâ operâ, & præſumptuosâ confidentiâ fugiendo, quæ magìs ardua ſunt non in credendo minùs, quàm

in

in agendo ; ità econtrà Catholica nihil in morum præceptis, ac diſciplina mores internos dirigente, in honeſtatem unquam peccavit, nec aliam habuit, aut ſtatuit moralem doctrinam, quàm quæ â Chriſto, Apoſtolis, Sanctis Patribus tradita, & in Conciliis ſtabilita fuit : cœtera verò, quæ â Theologis, Caſuiſtis ſcilcet laxioribus, mille diſtictiunculas ex ſolò ſuo criterio excogitantibus ad pulvillos conſuendos ſub cubitis hominum & ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſubinde diſputantur & invecta ſunt, tanquam cogitationes hominum habenda ſunt, quas vehementer damnat & improbat Eccleſia, ſi cupiditati hominum nimis aſſentantes, doctrinam Chriſti puriſſimam corrumpentes, & â Sanctiſſimis Eccleſiæ regulis alienæ inveniantur. Præceptis inſuper Divinis & ſua præcepta poſitiva, pauca quidem univerſalia & mole levia, addit, queis homines, præſertim diſcolos, ad præceptorum Divinorum obſervantiam adjunctis etiam pœnis urget, aut ad certas temporis circumſtantias illa determinat, aut fideles ad virtutum variarum actus & exercitia quoque externa apprimè format, mortificationem corporis ac ſenſuum caſtigationem imperat. Imò nec ſolâ mandatorum obſervatione contenta, ipſa quoque conſilia Evangelica ad amuſſim nobilioribus quibusdam membris ſuis adimplere ſuadet, & ſuppoſitâ liberâ voluntatis eorundem determinatione, ac certi ſtatûs ac vitæ generis electione, præviâque ad hanc probatâ vocatione, etiam præcipit.

XXVI. Porrò viam ad obſervationem tum mandatorum, tum conſiliorum Divinorum, adeóque ad San-

ctitatem & perfectionem tam communem, quàm ſpecialem, quam præceptis oſtendit, etiam mediis opportunis applanat; ut Legis gratiæ publicam ſe ſcholam prodat, quæ non tantùm lex eſt, ſed & robur, non ſolùm indicans, quid ſit faciendum, ſed etiam adjuvans ad implendum. Mediorum illorum ſingularia plurima ſinguli Ordines Religioſi ſuppeditant, quorum vel ideò moderata ex Spiritu & Canone Eccleſiæ diverſitas utilis probatur, ut diverſis hominum geniis, indoli, & viribus diverſa etiam media accommodentur. Communia verò media omnibus fidelibus expoſita nimis longum foret recenſere: unum hæc inter, ſicut præcipuo loco collocari, ità & hìc commemorari meretur ipſa illa, quam Eccleſia Catholica docet, Sacramenti Pœnitentiæ & confeſſionis â Chriſto inſtitutæ neceſſitas; utpote quâ innumera peccata emendantur, eorum occaſiones abſcinduntur, pravæ conſuetudines extirpantur, plebeji ac ſimplices inſtruuntur, magnis inde & difficultatem largè compenſantibus conſcientiæ levantur commodis & ſolatiis, multi etiam vel ſolo ejus metu â vitiis abſterrentur, ac retardantur. Verbo: tam efficax illa impietatis frænum nunquam non extitit, ut ad coërcendam ſcelerum impunè graſſantium effrænem multitudinem Civitas Norimbergenſis libello ſupplici, & ſolenni deputatione ad Aulam Caroli V. Imperatoris miſſâ, in qua tum Dominicus Sotus teſtis hujus rei oculatus morabatur, ejuſdem confeſſionis reſtitutionem edicto Cæſareo jubendam denuò petierit. *Vid. Domin. Sotus in IV. Sentent. Diſt. 18. Qu. 1. Art. 1.* Hunc autem characterem veræ Chriſti Eccleſiæ jam dudum agnoverat Lactantius *Lib. 4. cap. 30.*: *Sciendum eſt*, inquiens, *illam eſſe veram Eccleſiam, in qua eſt Religio, Con-*

feſſio,

feſſio, & pœnitentia, quæ peccata & vulnera, quibus ſubjecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat.

XXVII. Denique & ipſa vitæ & morum cum his præceptis & mediis conformitas in Eccleſiæ Catholicæ membris præcipuè & non rarò reſplendens ſingularem præ omnibus aliis Societatibus eidem ſanctitatis prærogativam & exiſtimationem conciliat. Conſiderentur tot Epiſcopi & Miniſtri, in quibus dotes illæ ab Apoſtolo in Epiſtolis ad Timotheum & Titum requiſitæ mirificè elucent; tot Cœnobitarum & Monachorum congregationes, qui contemptis ſæculi divitiis, honoribus, illecebris, totos ſe tradiderunt pœnitentiæ, ac rerum divinarum contemplationi; tot etiam Laici, qui hoc mundo uſi ſunt & utuntur tanquam non utentes, imò & fœminæ, quæ ſexûs imbecillitatem virtutibus maximè heroicis, vitæque auſteritatibus ſuperârunt. Quorum omnium exemplo Sanctus Auguſtinus *contra Manichæos* utitur *Lib. 1. de moribus Eccleſiæ Cap. 31. & 33.* Millenos numerare eſt per omnia ſæcula etiam poſteriora homines illuſtriſſimos, qui omnes in hac eadem Eccleſia Romano-Catholica vixerunt, eámque quà ſanguine ſuo pro ejus fide profuſo, quà inſignibus meritis divinitus ſæpiuſculè comprobatis illuſtrârunt: quorum plurimi ab Eccleſia ùt Sancti, præviâ maturâ cauſæ diſcuſſione, publico judicio declarati & propoſiti fuerunt. Et quamvìs ipſius Eccleſiæ judicium in his infallibile eſſe, eliquatum necdum ſit, & â Catholicis quoque pluribus non immeritò negetur; tamen in his actu illam errare, fundatè nemo aſſeret, aut ſolidè oſtendet. Tanta ſiqui-

dem eſt diligentia, tanta accuratio, quæ in cauſis ejusmodi aliquos, qui inter nos vixerint, Beatorum Cœlitum Catalogo adſcribendi adhibetur, ut, etſi præſens ſingulari ratione Deus non eſſet, humana tamen induſtria ſufficere videretur ad omnem cuicunque non contumaci, aut temerario & effronti dubitationem eximendam, & prudentem credulitatem, de qua ſola hìc agitur, conciliandam; tam multa ſunt examina etiam in judicio contradictorio per complurium annorum, imò integrorum non raró ſæculorum decurſum continuata, in quibus nihil prorſus diſſimulatur, quod aut virtutes illorum ac benè geſta elevare, aut eorum probationes ac teſtimonia enervare poſſunt, tanta actionum in integro proceſſu Canonizationis ſolennis obvenientium multitudo, & ordinatiſſima diſpoſitio; ut veritas humano etiam modo fugere oculos Pontificis, tantæque, quæ cum ipſo eſt, Cardinalium, Epiſcoporum & Doctorum turbæ vix poſſit; indéque fruſtra profectò ſint, & omnem humanam fidem eliminare videantur, qui omnes illas virtutes heroicas tanquam hypocriſes, aut falſas narrationes traducunt, nihil tamen afferunt, quo id probent & tanti examinis fidem evertant, niſi quòd ſuis placitis repugnent, aut genio non arrideant. Certè hæc omnia majorem ſaltem & incomparabiliter prudentiorem ſanctitatis exiſtimationem publicam, & tot tantíſque teſtibus omni exceptione majoribus firmatam Eccleſiæ Catholicæ præ omnibus aliis Societatibus & cœtibus fundant, & ſic evidentem illi velut veræ uni & immaculatæ Chriſti Sponſæ credibilitatem conciliant, uſque dum tam probatæ caſtitatis, tam inſolitæ temperantiæ, tam auſteræ

pœni-

pœnitentiæ, tam heroicæ virtutis viros & mulieres & ipſi Antagoniſtæ protulerint, & æquali probationum & argumentorum robore oſtenderint.

XXVIII. Qui verò, non attentis tot illuſtribus Sanctitatis in Eccleſia Catholica exemplis, potiùs malunt in pravos aliorum Catholicorum, & ex ipſo Miniſterii ac Epiſcopatûs ordine, imò Summi Pontificatûs vertice, improborum mores oculos ſuos conjicere; næ ii ſanè livori magìs, quàm veritati ſe indulgere, luculenter oſtendant. Donec erunt homines, erunt & vitia & peccata, erunt abuſus, ſuperſtitiones, immoderatus poteſtatis & authoritatis ùtùt legitimæ uſus, innocentûm oppreſſiones, calumniæ, aliáque hujusmodi, quæ ſub lolii & zizaniorum nomine in Evangelio deſignantur: mala hæc etiam in Eccleſiam vitio hominum ſacris abutentium, & quorundam Paſtorum Chriſtiani gregis deſidiâ irrepere, & in Eccleſia eſſe poſſunt; ſed Eccleſiæ mala non ſunt, nec officiunt ejusdem Sanctitati, cujus doctrina & præcepta puriſſima ſemper fuerunt & invariata, nec juſtam Schismatis aut defectionis anſam præbent. Nec Sacerdotium, nec Eccleſia propter inordinationes Sacerdotum & Catholicorum minùs ſunt Eccleſia & Sacerdotium JEſu Chriſti; quemadmodum & duodecim Apoſtoli non deſinebant propter Judam eſſe Collegium Apoſtolicum. Deus certè in imperfectis etiam, atque indignis Vicariis ac Miniſtris ſuam authoritatem cum reverentia reſpici, obſervaríque mandat juxta illud *Matth. 23. v. 2. & 3.* „Super Cathedram Moyſis ſederunt Scri„bæ & Phariſæi; omnia quæcunque dixerint vobis, ſer-

„vate & facite: ſecundùm opera verò eorum nolite fa-„cere. Dicunt enim, & non faciunt.„ Omnia enim illa vitia uti ſingularia ſunt & peccantibus propria, ità ſolos ipſos efficiunt malos, non autem totum Corpus Eccleſiæ, quæ in terris, ubi militat, nunquam non membris ægris æquè, ac ſanis conſtabit, & in Beatitatis tantùm patria, ubi triumphat, ſana omnia, ac rectè conſtituta habebit. Praxes inſuper illæ, ùtùt authoritate Summorum tribunalium hactenus inductæ, (quas multi etiam inter Catholicos viri deſideriorum & gemituum invectas non eſſe optarent, imò & cordatè ſubin ac intrepidè, non minùs tamen modeſtè reprehendunt) Praxes tamen ſemper hominum ſuis etiam infirmitatibus circumdatorum habitæ fuerunt; Stylus Curiæ ſunt, non autem Canon Cathedræ Apoſtolicæ, nec in vim Juris aut Canonis ità excreſcere potuerunt, ut conſtantem ejusdem Eccleſiæ Spiritum in Chriſtiana morali hactenùs alterarent & diverſificarent; Quin quoad multa pedetentim emendatæ jam fuêre, quoad alia verò in opportunius tempus ſecundùm ſanæ Politiæ œconomiam, ne, qui nimis emungit, eliciat ſanguinem, reſervatæ dignoſcuntur. Et quæcunque, & quorumcunque demum ſint; certum eſt, â voluntate tantùm illas proficiſci: & nemo hactenus Theologorum comparuit, qui vel ipſius Summi Pontificis, multò minùs Officialium Curiam conſtituentium voluntatem extra omnes affectus poſitam, & prorſus impeccabilem aut indefectibilem aſſerere auſus fuerit. Quod autem â corrupta hominum, etiam Miniſtrorum & Vicariorum voluntate proficiſcitur, ipſorum eſt, & rejiciendum: Veritas econtra doctrinæ &

autho-

authoritas â JEſu Chriſto & Apoſtolis profectæ Dei ſunt, nec violandæ. Non voluntas hominum, ſed doctrina Eccleſiæ regula â Chriſto conſtituta eſt, quæ nihil ſua authoritate firmat, niſi quod â JEſu Chriſto per traditionem Apoſtolorum, & eorum, qui ipſis ſucceſſerunt, accepit. Hanc autem ſemper ſanctam, puram, & immaculatam perſeverâſſe, vel ipſæ illæ reformationes â Conciliis, ac noviſſimo etiam Tridentino, tam in Capite, quàm in membris factæ teſtantur, queis non novi Canones ſanciti, ſed antiqui non ſervati hactenus, ad uſum & obſervantiam denuò revocati fuêre. Quare & hìc illis Sancti Auguſtini *Lib. 1. de moribus Eccleſ. Cathol. Cap. 34.* Manichæos alloquentis verbis uti, & concludere liceat: *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando Eccleſiæ Catholicæ maledicere deſinatis, vituperando mores hominum, quos & ipſa condemnat.*

XXIX. Elucet inſuper Eccleſiæ Catholicæ Sanctitas ex veris miraculis per pleróſque Sanctorum in hac Eccleſia degentium in ſuæ partim ſanctitatis, partim fidei ac doctrinæ confirmationem â Deo patratis, qualia nunquam ab Ethnicis, aut queiscunque infidelibus, aut hæreticis facta eſſe conſtat. Quibus admirandis operibus, ùt ſuprà diximus, totum mundum ad fidem Chriſtianam fuiſſe perductum, ait S. Augſt. *Lib. 22. de Civit. Cap. 8.*, ſe verò in Eccleſia Catholica retineri confitetur idem *Lib. 8. cont. Epiſt. fundam. Cap. 4. et 5.* ac *Lib. de util. cred. Cap. 14. et 17.*

XXX. Recenſere iſta prolixum nimis foret, & â propoſito noſtro hìc alienum, & ab aliis ſatìs & abundè jam præſtitum, qui ex teſtibus idoneis plerumque coævis illa per ſæculorum diverſorum ſeriem retulerunt. Et quamvìs jam IV. V. & VI. Sæculis rariora eſſe cœperint, cùm Religio Chriſtiana jam tum radicata continuis ejusmodi irrigationibus non ampliùs indigeret, & imperantibus Chriſtianis Imperatoribus, extinctâ Tyrannorum perſecutione, ſubverſis Idolorum fanis, Eccleſia ſatìs roborata ac ſtabilita longè lateque ordinariis providentiæ Divinæ viis diffunderetur; illis tamen non penitùs ea ſæcula caruiſſe, irrefragabilibus Sanctorum Patrum coævorum, ac inter hos Auguſtini & Gregorii teſtimoniis conſtat. Et hæc jam ſufficerent ad conciliandam Eccleſiæ Catholicæ præ aliis omnibus Chriſtiano nomine appellatis cœtibus credibilitatem; cùm ſatìs conſtet, & ipſimet fateantur, modernam Eccleſiam Romano-Catholicam in articulis ſuis præcipuis hanc inter & ipſos controverſis cum Eccleſia illorum ſæculorum apertè convenire.

XXXI. Nec tamen etiam poſterior fuit ætas ulla, in quâ non aliqua reperiantur â Scriptoribus coævis & teſtibus omni exceptione majoribus relata; quæ oſtendunt, nec novioribus ſæculis ad nos usque abbreviatam eſſe manum Domini. His autem hiſtoriographis Synchronis, de quorum aliàs integritate nulla eſt ſuſpicio, fides ſine dubio eſt adhibenda, cùm ſcripta eorum palàm in vulgus edita & omnium cenſuræ expoſita, eo ipſo tempore, quo geſta referebant, absque omni contradictio-

dictione acceptata tanto tempore & annorum ſpatio fuerint. Neceſſarium ſanè eſt, ut homines hominibus credant, niſi vita pecudum more degenda ſit; non amicitia modò, verùm omnis humana ſocietas interiret, ac nihil prorſus incolume remaneret; ſi alter alteri, ſi poſteri antiquioribus fidem non haberent, ſi nihil affirmare ſtatuerimus, quod non idem poſſemus quaſi manu tangere & tenere perceptum. Probationes requiruntur juridicæ & concludentes, non tamen demonſtrativæ, ſed ipſi propoſito evincendi prudentem credulitatem accommodatæ; ſecùs enim & ipſa Chriſti, aut Moyſis, Prophetarum & Apoſtolorum miracula, quibus Chriſtianæ Religionis evidens credibilitas evicta fuit, in dubium demum vocabuntur.

XXXII. Quanquam negari non poſſit, deterrimum inter reliquos ignorantiæ ac barbariei ſæculorum rudium effectus etiam fuiſſe nimiam hominum circà miracula credulitatem, ac ſuperſtitioſam levitatem. Hujus exempla nonnulla exhibere forſan poſſent falſæ quædam Sanctorum legendæ potiſſimùm Sæculo IX., occaſione translationis reliquiarum tum frequentiſſimæ, modò fabricatæ & confictæ, ubi deficientibus veris Martyris cujusdam actis, pii quidam homines, ſed ſimplices obſequium ſe præſtare Deo & Sanctis perperàm exiſtimabant, conſarcinando aliqua, ùt poterant, maximè prodigioſa, quæ in feſtis legerentur, & populi ſimplicis, in quo plerumque prodigiorum & novitatis guſtus veritatis ſenſum ſuperare ſolet, devotionem foverent. Neque nos ſumus, qui omnia illa miracula Sanctis attributa â Biographis

ejusmodi longo ſæculorum intervallo recentioribus, aut ab aliis etiam Synchronis absque maturo examine congeſta probemus, & vera teneamus. Neminem abſterreat ſtulta quorundam ſimplicium levitas, & ſuperſtitioſa credulitas; ubi ipſa univerſalia Eccleſiæ decreta prudentem circà illa rigorem ac dubitationem non tantùm permittunt, ſed & approbant, imò imperant. Examinari illa priùs vult, & eò quidem exactiùs, quò inſolita, ac paradoxa magìs videntur facta illa. Falſis ipſa non indiget: Novit falſorum aſſertionem etiam veris fidem minuere, imò detrahere: unde hæc adeò non affectat, ut potiùs condemnet, eorúmque fabricatores graviſſimis pœnis afficiat, benè gnara, quòd ea confingere Apoſtolo Paulo *1. Cor. 15. v. 15.* idem ſit, ac falſum contra Deum teſtimonium ferre, ùt ſcitè animadvertit *S. Petrus Damian. in vita S. Domin. Loric.* Et ſiquis etiam magnam illorum partem tribueret impoſturæ hominum; veroſimile tamen non eſt, inter centum nequidem unicum fallaciâ carere. Imò extant inter recentiora ejusmodi, quæ vel ab ipſis adverſariis non negantur.

XXXIII. Porrò nec ad ſingula particularia miracula adeò reſpicitur, quàm ad ipſum illud donum miraculorum omnis generis, quod in membris ejus Eccleſiæ, quæ in controverſiam vocatur, ſingulari quodam modo præ omnibus aliis Sectis ab ipſa alienis reſplendet, ac univerſali hominum exiſtimatione, publicâ voce, communi & conſtanti populorum famâ, continuatâ tot Sæculorum hiſtoriâ comprobatur. Vera, certa, & firma manet Religio & Eccleſia, quàmvìs ſingula particularia miracula,

quæ

quæ luculentis non poſſunt probari documentis, in dubium vocentur, imò negentur: Errorem enim ac deceptionem particularium & privatorum hominum, in caſibus peculiaribus, ſubinde permittere, Deum non prorſùs dedecet: Univerſaliter autem & omnium hominum in re tanti negotii, imò unicè neceſſaria errorem permittere, â providentiâ Divinâ alienum foret, ſcilicet ut Eccleſia quædam falſa tot tantíſque ſignis Divinæ cujusdam virtutis inclareſcere poſſet, quæ ipſe nonniſi in vera ſua Eccleſia fore prædixit, ubi absque ulla temporum & ſæculorum diſtinctione aut limitatione promiſit, fideles ſuos & credentes in ſe majora etiam iis, quæ ipſe perpetrârit, miracula patraturos. Aut ergò nulla inter Chriſtianas eſt vera Eccleſia, aut ea certè, quæ præ reliquis omnibus univerſalem ejusmodi miraculorum famam & gloriam omnium conſenſu ſibi conciliavit, ut nulla alia cum eadem in comparationem venire auſit.

XXXIV. Hæc igitur omnia hactenus recenſita ſigna tam conſpicua, cùm ſoli Catholicæ Eccleſiæ conveniant, aut ſi qua etiam in alio quodam cœtu reperiantur, non tamen omnia collecta, & æquali cum prærogativa verificentur; id unum prudenti cujusvis judicio relinquendum erit, annon multò probabilius ſaltem, ſi non evidenter credibilius, ſit, hanc ſolam Eccleſiam Catholicam inter omnes reliquas Societates Chriſtianas digniſſimam eſſe, quam ceu divinitus inſtitutam veneremur. Si autem probabilior illa ſit, neceſſariò eſt ſequenda, non attentis quibuscunque minùs probabilibus, quæ his opponi poſſent, rationibus. Certè ſi minùs probabilem ſe-

qui Religionem liceret, vel ipſi etiam Judæi, Gentiles, imò Athei ſequendo ſuam Religionem excuſandi erunt; cùm & ipſi æquales habere & opponere poſſint rationes contra motiva illa credibilitatis ſuprà propoſita, quales & quicunque ab Eccleſia Catholica averſi ſibi ſuffragari exiſtimant, ut hanc non ſequendam ducant. Tam ſcilicèt Religio Chriſtiana Gentilibus, aut falſis Judæis, aut inter Chriſtianas Catholica Libertinis hominibus, in ſuis tenebris juſto Dei judicio relictis, incredibilis apparet, quàm Sancta, Divina, & admiranda eſt iis, quorum rationem perpenſis maturè his argumentis Spiritus Dei humiliter exoratus illuminat, voluntatémque movet & adjuvat.

XXXV. Ex quibus & prono alveo fluit, quomodo & quouſque etiam Chriſtiano dubitare de veritate ſuæ Religionis fas ſit. Cùm enim Chriſtiana Religio tot in Sectas diviſa ſit, & quælibet Societas cuilibet Sectæ addicta ſe divinitus inſtitutam, & ritè Chriſti dogmata tradere ac interpretari jactitet; utique inquirendum præ reliquis omnibus eſt, quænam ſit illa vera divinitus fundata Eccleſia: & eò uſque cuilibet dubitare de veritate ſuæ Societatis permiſſum erit, quamdiu necdum characteres quoſdam perſpicit, qui hanc ſuam Eccleſiam tanquam divinitus inſtitutam præ aliis credibilem denotent, ac manifeſtè diſcernant. Cùm enim ex ſæpiùs dictis longiſſimo & infinito dogmatum examine veram Eccleſiam inveſtigare velle, eſſet Labyrinthum ingredi, in quo ex ambagibus in ambages, è gyris in gyros incidere facillimum, exire autem & ſe extricare longè diffi-

ciſſimum, imò rudibus & ſimplicibus impoſſibile ſit; via hæc per rationes extrinſecùs accerſitas longè certior, brevior & omnibus communis erit, per quas luculenter Eccleſia probat id, quod illi probandum omninò & unicè incumbit, ſcilicet non alium ſe, quàm Chriſtum ipſum Authorem habere. Hoc ubi certiſſimis hiſce argumentis cuiquam conſtat; tum haudquaquam dubium ampliùs relinquitur, quin, quidquid illa docet, citra diſcuſſionem, citra omne examen accipiendum, tenendúmque ſit eâ firmitate & conſtantiâ, quâ majorem nulla omninò veritas, quibuscunque aut rationibus aſſerta, aut ſeipſa intellectui manifeſtiſſimè oſtendens mereatur, cùm aſſenſus iſte doctrinæ fidei ab Eccleſia tot ſignis & characteribus præcipuis inſignita propoſitæ & declaratæ præſtitus baſi, quâ firmior altera, magíſque inconcuſſa inveniri nuſpiam poſſit, Divinâ, inquam, veracitate nitatur: ùt ſubſequens Caput fuſiùs oſtendet.

CAPUT IX.

Authoritas in rebus fidei non tantùm judicandi, ſed & imperandi, citra injuriam Libertatis humanæ rationis, Eccleſiæ conceſſa aſſeritur.

SUMMARIA.

I. *Brevis dictorum hactenus Anacephaleoſis oſtendit, Catho-*

tholicam eſſe veram Chriſti Eccleſiam, in qua auctoritas neceſſaria conſtituta quæri debeat.

II. *Hanc reapſe â Chriſto conceſſam eſſe, tam ſine, quàm ex Sacra Scriptura probari poteſt.*

III. *Admiſsâ Sacrâ Scripturâ, probatur non tantùm auctoritas,*

IV. *Sed etiam infallibilitas & inerrantia,*

V. *Apoſtolis eorúmque Succeſſoribus Paſtoribus tanquam Imperantibus & docentibus, non fidelium parentium communitati promiſſa.*

VI. *Ejusdem perpetuitas,*

VII. *Et uſus, exemplo Apoſtolorum, diverſis ſæculis conſpicuus.*

VIII. *Ejusdem uſûs diverſitas, aut diverſi, eandem interponendi, modi referuntur.*

IX. *Circa quos differentes interdum Catholicorum ſententiæ tanquam in fide & dogmate conſpirantes conciliantur.*

X. *Authoritas debet eſſe non tantùm judicativa, ſed & imperativa, quæ probatur.*

XI. *Vindicatur ab injuſti dominatûs & Tyrannidis conſcientiarum ſuſpicione, quæ cadit in poteſtatem merè humanam;*

XII. *Non autem in Eccleſiaſticam divinitus participatam & prærogativâ inerrantiæ munitam.*

XIII. *Nec libertati rationis eſt injurioſa; utpote ad veritatem certiſſimè deducens.*

XIV. *Non eſt arbitraria, aut illimitata, ſed ad ſolum negotium ſalutis,*

XV. *Et quoad hoc etiam ad verbi Divini, ſive Sacræ*

Scri-

Scripturæ & Traditionis normam ac regulam adſtricta.

XVI. *Quæ utraque limitatio ex Concilio Tridentino colligitur.*

XVII. *Traditio inquirenda, quin præjudiciorum ac præconceptarum opinionum argui poſſit Eccleſia.*

XVIII. *Inde ipſorum Conciliorum decreta, quæ ſunt modus interponendæ authoritatis Eccleſiæ celebratiſſimus, ſub certis tantùm conditionibus infallibilia ſunt, adeóque rationis libertatem ſtringunt & arctant.*

XIX. *Eccleſiæ tamen infallibilitas, ubi fidelibus aliquid ceu dogma credendum proponitur, & imperatur, eſt prorſus abſoluta.*

XX. *Et variis mediis contra ipſorum Conciliorum non legitimorum, aut ſuis conditionibus deſtitutorum judicia ac decreta â Deo debet, & poteſt ſervari, ac defendi.*

XXI. *Attendendus itaque eſt potiſſimùm conſenſus Corporis Paſtorum cum Capite conſpirantium;*

XXII. *Eo quoque indigent ipſamet Concilia, ut ſciatur, illa verè œcumenica, & omnes conditiones neceſſarias adhibitas fuiſſe.*

XXIII. *Solus hic eſt certa regula non attentis variis, quæ excogitari poſſent, motivis.*

XXIV. *Syſtema & œconomia methodi, ac doctrinæ Catholicæ breviter repetita Eccleſiæ in omnibus obediendum & aſſentiendum docet;*

XXV. *Quin juſtè Mahometanæ ignorantiæ, aut Kohlerianæ ſimplicitatis argui valeat.*

XXVI. *Prudentiſſimè in hac ſola conquieſcit vulgus Catholicorum:*

XXVII. *In Paſtoribus tamen major inquiſitio ac eruditio expetenda & neceſſaria eſt.*

OBſequii rationabilis Divinæ circa Religionem, omnibus hominibus paratam, revelationi ab omnibus debiti neceſſitas, perſpectâ humani Intellectûs infirmitate, & Sacrarum Scripturarum obſcuritate, cœtûs cujusdam, in quo illæ revelationes cuſtodiantur, tradantur, & dubiæ exponantur, â Chriſto inſtituti, atque in eo vivæ ac publicæ authoritatis judicativæ, quæ controverſias & dubia exorta ultimatò definire, & certitudinem de Divinæ revelationis exiſtentiâ evincere poſſit, neceſſitatem & convenientiam infert; Porrò cœtum hunc â Chriſto inſtitutum, præ diverſis tot aliis Societatibus Chriſtianarum nomine appellatis, ſolam & unicam eſſe Eccleſiam Romano-Catholicam, ſignis ſive notis & characteribus perſpicuis, peculiaris circa illam providentiæ Divinæ teſtibus, ac evidentiam moralem parientibus adeò comprobatur, ut nemo ſepoſitis præjudiciis prudenter & bonâ fide id negare poſſit. Unde facilè deducitur concluſio, Eccleſiam Catholicam eſſe publicam illam Religionis Chriſtianæ Scholam, in qua vivam illam authoritatem, controverſiarum fidei & Religionis definitivam, conſtitutam eſſe oporteat.

II. Eandem verò auctoritatem, & quidem omnis erroris neſciam ac infallibilem, cœtui eidem reapſe & actu â Deo communicatam fuiſſe, ipſamet altiſſima providentiæ Divinæ juſtiſſimæ æquè, ac clementiſſimæ, quæ in neceſſariis nunquam deficit, ratio facilè oſtenderet; imò hæc ipſa ſigna hactenus percenſita, queis Deus ipſemet eidem cœtui evidens teſtimonium perhibet, haud difficulter commonſtrarent; cùm Deum teſtimonio ſuo confirmare mendacium & falſitatem non poſſe, ratio ipſa naturalis doceat: ſicut & jam tum ante Sacras Scripturas ab Apoſtolis adornatas eadem auctoritas & infallibilitas credita fuerat. Sed & agnitâ verâ Eccleſiâ partim facile erit in cognitionem Scripturæ Sacræ devenire, eíque talem Scripturam, ùt verbum Dei proponenti conſentire, partim etiam ex aliarum Societatum ab hac diverſarum conſenſu in admittendis Sacris Literis unanimi utiliter acceptato, ex conceſſis illarum, ſive tanquam argumento ad hominem, ùt ajunt, ipſis certo, Sacrarum Scripturarum authoritate Catholici ſuam in rem uti, neutiquam prohibebuntur.

III. Admiſſa ſubinde Sacra Scriptura tam auctoritatem Eccleſiæ, quàm promiſſam infallibilem Divini Spiritûs aſſiſtentiam, luculentis & irrefragabilibus teſtimoniis comprobat. Authoritatem quidem omnes illi textus apertè teſtantur, quibus Divina Paſtorum inſtitutio, ejúsque inſtitutionis finis aſſeritur, fidelibus verò præſtandi eisdem obſequii neceſſitas injungitur: Juſſit enim Chriſtus Apoſtolos

ſuos docere omnes gentes *Joann.* 20. *v.* 21. & doctrinæ ſalutaris pabulo gregem ſuum paſcere, imò & regere velut poteſtatem habentes, quos ſcilicet eâdem, quâ ipſe â Patre præcellenti ac principali donatus fuerat, poteſtate, miniſteriali tamen duntaxat & vicariâ, inſtructos miſit, inquiens: *Sicut miſit me vivens Pater, ità ego mitto vos*, ac propterea æquè illos audiendos voluit, iisque obtemperandum, eorum contemptum ſuam declarans offenſam, *Lucæ* 10.: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*; Atque non obedientibus terribile illud inculcat: *Matth.* 18. *v.* 17. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Unde *Act.* 10. *v.* 28. dicuntur Paſtores *poſiti â Spiritu Sancto regere Eccleſiam Dei.* Atque obedientiam iisdem ab omnibus deberi Paulus *Hebr.* 13. *v.* 17. monet: *Obedite Præpoſitis veſtris & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*

IV. Inerrantiæ verò dono, & infallibili Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ eandem authoritatem munitam eſſe, & finis ejusdem in Sacra Scriptura expreſſus, & diſertæ illius promiſſiones non fruſtrabiles exigunt: Vel ideò enim *Epheſ.* 4. *v.* 11. „Dedit Deus quosdam quidem Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad „*conſummationem Sanctorum* in opus miniſterii, *in ædificationem Corporis Chriſti.* . . . Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris, *veritatem* autem facientes *in charitate*,

creſca-

„creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus. Ex quo luculenter patet, nos omnes hac in vita ob infirmitatem, levitatem, ac inconſtantiam intellectûs humani in rebus Divinis in ſtatu puerorum eſſe, qui omnia â Deo Apoſtolis, & per Apoſtolos Eccleſiæ revelata âb eadem velut Matre noſtra accipere debeamus, & veritatem obtinere certò poſſimus: Quem igitur in finem illi ſoli promiſſus & datus eſt, ùt oportuit, Spiritus Sanctus, de quo privatus nemo, ùt illa, certus eſſe unquam poterit. *Ego*, inquit Chriſtus Matth. ult., *vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Et Joann. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis &c.* & v. 26. *Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis.* Atque ob ejusdem Spiritûs aſſiſtentiam Paulus 1. *ad Timoth. cap.* 8. eandem Eccleſiam Dei vivi columnam & firmamentum veritatis jure merito appellat, eòquòd non tantùm Sacram Scripturam omni errore immunem conſervet & cuſtodiat, adinſtar Synagogarum Judaicarum Scripturam veteris Teſtamenti ſollicitè hodiedum ſervantium, ſed quòd Chriſtus, qui per Spiritum ſuum Eccleſiam veluti Corpus regit, in ea velut baſi veritatem ità ſtabiliverit, firmâritque, ut deficere, labefactari, & corruere nunquam poſſit.

V. Harum certè promiſſionum â Chriſto diſertis adeò verbis factarum vim plusquàm energicam ſatìs non intelligunt, qui totam duntaxat fidelium ſocieta-

tem in retinenda vera Chriſti doctrina & fide firmam adeò conſtantémque fore exiſtimant, ut nunquam errorem tota admittere poſſit: Paſtoribus verò ſimul & collectivè ſumptis, ſive eorum Corpori hanc infallibilitatis prærogativam negant, quâ certò, ſecurè, & absque ulla erroris formidine de Religionis cauſis pronuntiare ac definire poſſint. Apoſtolos enim ſolos allocutus eſt; His ſolis non quidem ùt privatis perſonis & morituris, ſed ùt Eccleſiam, id eſt, Corpus Paſtorum legitimè ipſis ſuccedentium repræſentantibus, & uſque ad conſummationem ſæculi permanſuris infallibilem illam Spiritûs Sancti aſſiſtentiam promiſit. Hi omnes ſimul Eccleſiæ Principes & Paſtores ſi falſum docere poſſent; falſum quoque admittere ac credere teneretur populus omnis Chriſtianus: Et Sacerdotum omnium error totius erit error Eccleſiæ, ſive communitatis, ac ipſa in errorem neceſſariò inducenda erit, & jactata quoque hujus infallibilitas eodem labefactata motu corruet; unde vel veritas, vel charitas, qui uterque finis eſt inſtitutæ in Eccleſia authoritatis, teſte Apoſtolo ſupra laudato, graviſſimè lædatur, neceſſe erit. Aut enim hâc ratione, ſi omnes ſimul Paſtores â fide deficere & in falſum conſpirare poſſint, omnis populus propinatum ſibi â Paſtoribus ſuis, quibus jubente Chriſto tenetur obſequi, erroris venenum haurire debebit, ac omni tum vento doctrinæ circumferri nos & fluctuari perpetuò oportebit, & non in ædificationem Corporis Chriſti, ſed in deſtructionem potiùs poſiti erunt Paſtores, non ad Sanctorum conſummationem, ſed potiùs ad ruinam: Aut ſpreto Chriſti Paſtoribus obſequendi mandato iidem â gre-

gregibus deſerendi erunt : „Quòdſi, ait *Melch. Can. de Locis Lib. IV. Concluſ.* 4, „hinc Paſtores, inde oves „in contrarias partes ſeparentur ; corporis compacti, „ac per omnem juncturam connexi disjunctio, om„nem Eccleſiæ diſtrahet unitatem, & non ſolùm in„ter Optimates & populum conſtitutam â Chriſto So„cietatem evertet; ſed communem etiam fidelium inter „ſe conſociationem dirimet, cujus conſociationis arctiſ„ſimum vinculum fidei eſt conſpiratio eadem, & con„ſenſus partium non divulſus. Divulſus autem omni„um erit, ſi populorum membra â ſuis Capitibus di„vellantur. Atque ubi ſemel plebs rudis â Doctorum „ſuorum communi ſententia declinaverit, quorum do„ctrinam poſteà ſecutura eſt? „ Quis credat, ità Eccleſiæ, in re ad ſalutem communem maximè neceſſaria, Divinam aliquando defuturam eſſe providentiam?

VI. Perpetuò potiùs inſuper eidem ſponſæ ſuæ adfuturum ſe, Chriſtus iisdem hactenus laudatis teſtimoniis promiſit : & *Matth.* 16. *v.* 18. ſuper firmam adeò Petram ædificaturum ſe ſuam Eccleſiam aſſerit, ut portæ Inferi nunquam adversùs illam ſint prævaliture. Et ejus rei causâ poſtquàm in Symbolo diximus: *Credo in Spiritum Sanctum*, ſtatim adjungimus : *Sanctam Eccleſiam Catholicam ;* qua veluti Lege nos adſtringimus, ut infallibilem in Eccleſia univerſa agnoſcamus, perpetuámque veritatem; quando illa ipſa Eccleſia, quæ in Symbolo nobis nullo non tempore credenda proponitur, Eccleſia deſineret eſſe, ſi revelatam

â Deo veritatem docere deſineret. Itaque qui verentur, ne poteſtate ſuâ & authoritate Divinitus concreditâ unquam ad inducendum mendacium illa abutatur, vel eâ re teſtantur, ſe in eum, â quo regitur, Spiritum non ſatìs credere.

VII. Uſum porrò ejusdem authoritatis oſtendit ipſis Apoſtolorum temporibus orta de legalibus Cæremoniis diſceptatio; quaque ratione prima illa controverſia dirempta eſt, ex ea in Actibus Apoſtolorum relata, quâ authoritate cœteræ omnes dijudicandæ ac finiendæ ſint, ſubſequentia omnia ſæcula didicêre: Et quotiescunque inter Chriſtianos etiam poſt Apoſtolorum diſceſſum de fide quæſtiones ac diſſenſiones extiterunt, ſuam Eccleſia authoritatem interpoſuit, dixeruntque congregati Paſtores Apoſtolos ſecuti: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis*; Neque aliam per omnia ſæcula Eccleſiæ, quàm judicantis, decidentísque, Symbola & decreta fidei, morúmque condentis ideam omnia antiquitatis Eccleſiaſticæ monumenta exhibent & commonſtrant, ut exemplis hac in re tam manifeſtâ inhærere prolixum nimìs, ſed ſuperavacaneum prorſus videatur.

VIII. Diverſus tamen uſus iſte nonnunquam fuit; nec uno modo ſuam authoritatem in cognoſcendis & dijudicandis rebus fidei & Religionis Eccleſia explicavit: Namque hactenus aliquando per ſolos Romanos Pontifices pro eo, quo illi gaudent in omni Eccleſia primatu honoris & authoritatis, ac incumbente ipſis omni-

omnium Eccleſiarum ſollicitudine, ſuper controverſiis judicavit, ſtatimque pronuntiavit; aliquando per Epiſcopos in Conciliis tum particularibus, tum maximè œcumenicis congregatos, aliquando per eosdem extra Concilia, & in Orbe diſperſos, ſive per literas, & conſenſum eorundem vel expreſſum, vel tacitum.

IX. Et quamvìs circa ipſam Summi Pontificis in his poteſtatem & authoritatem, & reliquos etiam modos mox recenſitos aliqua etiamnum intactâ fide & communione fidelium diſputationibus ſint obnoxia, & differentes ſuperſint Scholarum & Doctorum ſententiæ, in quibus juxta ſuperiùs dicta etiam in Eccleſia perfecta datur ſentiendi libertas; attamen in dogmatibus ſemel judicio univerſalis Eccleſiæ publico definitis perfecta ubique & ſemper omnium rectè credentium concors ſtat unitas: ſive judicium illud publicum intelligatur Decretum Concilii Oecumenici, quali Arianismus Nicææ condemnatus eſt; ſive Pontificium oraculum Corporis Paſtorum conſenſu vel expreſſo vel tacito per totam Eccleſiam receptum, quale Innocentius I. contra Pelagium, & priores Pontifices contra antiquiores hæreſes edidêre, ſive Sanctio Epiſcoporum, aut Concilii etiam particularis Nationalis aut Provincialis ab univerſa Eccleſia agniti, quod Pauli Samoſateni placitis & erroribus Antiochiæ contigit. In ſubſtantia ergò & in eo omnes Catholici conveniunt, & firmâ fide tenent, quod Corporis Paſtorum ſive Epiſcoporum Capiti ſuo Summo Pontifici unitorum & communicantium conſenſus ſuprema & ab omni erroris

peri-

periculo immunis, tuta & ſpirans, activa & authoritativa in controverſiis fidei ſit veritatis regula: ubi perinde eſt, & in idem planè recidit, ſive Summus Pontifex pro ſuo jure Eccleſiæ laboranti occurrens cœterorum Epiſcoporum ſuffragia anteverterit, & iſta ſequantur; ſive iſta, ùt aliquando contigiſſe dictum fuit, præcedant, & ſententia Romani Pontificis confirmans accedat & ſubſequatur; ex illis quippe unitis ac conſentientibus certa & infallibilis exurgit definitio.

X. Quocunque demum modo authoritas illa judicialis ac definitiva univerſalis Eccleſiæ interpoſita fuerit; ne nulla prorsùs, inanis, & ad finem â Deo præſtitutum inutilis ac inſufficiens exiſtat; non poteſt non habere adjunctum ſibi ſacrum quoddam Imperium, eam doctrinam judicio ſuo ultimo ac decretorio definitam per modum legis, & rei judicatæ fidelibus præcipiendi, & ſub lege neceſſitatis eosdem adſtringendi, ut non tantùm aſſenſum externum eidem præſtent, ſed & ipſos internos mentis conceptus conforment. Nec enim ſacrum illud in conſcientias internas hominum Imperium ità ſoli Deo reſervatum eſt exiſtimandum, ut nequidem hominibus, velut Miniſtris communicari & participari â Deo poſſit, ſicut & alia reſervata, ut miracula vires naturæ excedentia patrandi, ac mortuos præcipuè ſuſcitandi, poteſtatem iisdem tanquam cauſis inſtrumentalibus communicata adeò fuiſſe nemo ignorat, ut & Sancti quidam majora eorum fecerint, quæ in ipſis Sacris Literis Chriſto Domino attribuuntur. Nec aliud quidquam ad Sacrum illud Imperi-

perium Eccleſiæ aſſerendum requiritur, quàm ipſamet Authoritas divinitus communicata, & ſimul infallibili Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ ac dono inerrantiæ munita, ut gloriari cum Apoſtolis poſſit: *Actor.* 15. *v.* 8. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis.* Hâc utrâque ſuppoſitâ & conceſsâ, nihil eſſe poteſt, quod hominem ratione rectè utentem ab aſſenſu illo interno retrahat & abſterreat: ſed eadem ratio, eadem potentiſſima cauſa, quæ Scripturis Divinis habendam eſſe fidem perſuadet, etiam Eccleſiæ proponenti, & deſuper judicanti credendum exigit. Deo quippe credimus, & intellectum noſtrum in obſequium fidei illi captivamus, quia ipſe ex natura ſua falli & fallere non poteſt: Eccleſiæ verò, quam præ reliquis divinitus inſtitutam eſſe, evidenter eſt credibile, divinas revelationes declaranti; quia Deus illam authoritate ſuâ & non errandi prærogativâ donavit, id quod ſuperiùs ſatìs eſt demonſtratum. Unde quotiescunque Concilia ſuper controverſiis enatis pronuntiârunt, adeò pronuntiatas ſuas definitiones ſub examen novum revocari non permiſerunt, ut potiùs easdem ſummâ animi demiſſione & intellectûs captivatione ſuſcipiendas præciperent: In quo Apoſtolorum exemplum, omnium ſæculorum Patres ſecuti fuerunt, qui, cùm *Actorum Cap.* 15. jam ſuprà citato ſuper controverſiâ legalium ſuum interpoſuiſſent judicium, illud decreto publico tanquam præceptum impoſuerunt, & nomine oneris expreſſerunt. Et luculentiùs in fine ejusdem Capitis perambulâſſe dicitur Paulus Syriam & Ciliciam confirmans Eccleſias: *præcipiens*, cuſtodire *præcepta* Apoſtolorum & Seniorum. Capite verò ſequen-

ti 16. *v.* 4. cùm idem Paulus & Sylas idem hoc primum Apoſtolorum judicium Spiritui Sancto & ipſis viſum ad fideles deferrent, pertranſierunt civitates, tradentes eis cuſtodire *dogmata*, quæ erant *decreta* ab Apoſtolis & Senioribus, qui erant Jeroſolymis. Et quòd Succeſſorum quoque Eccleſiæ Paſtorum ſit, divinas veritates docere fideles non cum pædagogica duntaxat & ſuaſivâ charitate, ſed & cum auctoritate præceptivâ & imperio, patet ex illo ad *Tim.* 1. *Cap.* 4. *Præcipe hæc, & doce.* Item ad *Tit.* 2. *Hæc loquere, exhortare & argue cum omni imperio.*

X. Unde nimiùm profectò viles, indignas, humanæ tantùm prudentiæ maximis conformes & innixas de Religione Divina ideas ſe fovere ii produnt, quotquot Sacrum hoc Eccleſiæ authoratæ Imperium, velut dominatum craſſum, vim & Tyrannidem conſcientiarum, jugum inſupportabile, duram mentis carnificinam traducunt, & credenda ab omni Lege, quâ tantùm agenda dirigantur, eximunt, reſervatum Divinum aſſerentes, internis hominum conſcientiis dominari. Merè enim humana ſi foret ea, quam adſtruximus, veræ Eccleſiæ divinitus inſtitutæ poteſtas; ſub legem ejusdem ac deciſionem non cadere dogmata fidei controverſa, & internas mentis ideas facilè conſentiremus. Siquidem tota poteſtas humana & Politica ſolâ hominum voluntate in Magiſtratus, & Superiores translata fuit: ſicut autem Reipublicæ & Statûs civilis conſtitutio ac finis ad quietem & tranquillitatem publicam mutuis viribus ac ſubſidiis tuendam unicè tendit; ità & homines in

unam

unam Societatem civilem coëuntes ſuam tantùm voluntatem, non verò intellectum, imò & voluntatem eò uſque tantùm in voluntatem Imperantium transtuliſſe cenſendi ſunt, quouſque unio civilis & tranquillitas Reipublicæ id poſtulat; quò tamen, cùm nihil prorsùs faciant interni mentis conceptus, inde facilè cuique patet, cur nulla poteſtas Politica internos mentis conceptus ideis & voluntati Principis conformandi neceſſitatem, per modum Legis, imponere poſſit. Sic liceat omninò Proteſtantibus, omnem Eccleſiæ authoritatem divinitus communicatam negantibus, ab authoritate Synodorum ſuarum ſeſe eximere. Prædicent illi rationis Jura, & pericula explicent iis imminentia, qui auctoritati merè humanæ & fallaci ſuam addicunt credulitatem. Liceat & Catholicis, hoc argumento ferire privatos eos Doctores nullâ nec authoritate publicâ, nec erroris immunitate præditos, qui ità privatas ſuas ſententias, utut nullo adhuc publico Eccleſiæ judicio definitas, aut probatas, aliis obtrudere conantur, ut immoderato zelo, dicam? an intolerabili arrogantiâ, ac præfidentiâ nulla in re alteri cedere, aut ſuſpenſi hærere, ſupremo ſuo judicio ſtatim omnia definire, contrarium verò ſentientes cenſuris & notis hæreſeos infamare, iniquiſſimè attentent. Aut liceat demum condolere iis, qui ità Scholæ cuidam particulari velut glebæ adſcripti ſunt, & in verba Magiſtri alicujus particularis, merè fallacis, & deceptionis periculo obnoxii jurare coguntur, ut ſenſum contrarium & â Scholæ ſuæ maximis alienum, licèt longè ſibi veroſimiliorem, tenere ac docere, iisdem nefas exiſtimetur.

XII. Aſt vera Chriſti Eccleſia, ex hactenus dictis, eſt authorata â Chriſto, adeò, ut ab omnibus illam audiri, & ex ejus interpretatione doctrinam omnem ſalutis noſtræ & Religionis ſuæ percipi voluerit; eſt inſuper infallibili Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ & inerrantiæ dono ità munita, ut in his ſuis judiciis, interpretationibus, ac deciſionibus nec errare aut falli, nec decipere aut in errorem inducere poſſit: ulteriùs veram hanc Eccleſiam â Chriſto authoratam eſſe ſolam Catholicam, ex ſignis & characteribus perſpicuis, moralem evidentiam parientibus, conſtat: Quamobrem ſicut Chriſtus aſſenſum etiam internum ſuis revelationibus, utpote veriſſimis, præſtandum abſque ulla Tyrannide imperat; ità & Eccleſia Catholica, tot inſignibus notis præ aliis omnibus conſpicua & evidenter credibilior, nullam conſcientiis Tyrannidem infert, ubi authoritate ab eodem Chriſto ſibi participatâ, & ab ipſo Spiritu Sancto aſſiſtente, ex promiſſione ejusdem, edocta aſſenſum non tantùm externum, ſed & internum definitionibus ſuis omninò certiſſimis impertiendum exigit.

XIII. His itaque ſuppoſitis, quæ tamen ſuperiùs probata ſatìs extant, nulla Libertati Intellectûs humani, qui veritatem naturali inſtinctu ſectatur, ſectandíque jus habet, infertur injuria. Sicuti enim homini ratione prædito ipſa recta ratio effrænem in agendo libertatem negat, nec voluntas noſtra ità libera eſt, ut deſinamus eſſe ſervi juſtitiæ, quemadmodum ait Apoſtolus *Rom.* 6. & Legibus ſubjecti; ità & hominem Chriſtianum ipſa Chriſti Religio non patitur immodicâ opinio-

nionum libertate ferri, quocunque placet, atque ea tantùm competit, quæ hominem deceat rationis rectæ, fideíque Chriſtianæ legibus addictum, & erroris inimicum, quâ ſcilicet veritatem velut bonum ſuum, quod appetit, aſſequatur; adeóque patet, utrâque tam ſentiendi, quàm agendi libertate & â Chriſto, & ab iis, qui authoritatem, poteſtatémque ſibi â Chriſto creditam exercent, ſpoliari nos juſtiſſimè potuiſſe, ac poſſe: ſi tamen ſpoliari libertate dicendus ſit, qui libertate ipsâ jubetur uti ad veritatem certiſſimè inveniendam, errorem verò fugiendum; cùm tantum abſit, ut, poſito hujusmodi fundamento, Catholicis errandi periculum immineat; ut ſine iſto nemo de veritate certus ſit, nemo errandi periculum effugiat, nemo poſcenti ſuæ fidei rationem dare poſſit. Quid? quod intolerabilis potiùs temeritas foret, certiſſimis Eccleſiæ Decretis contraire, aut in ſuo privato ſenſu abundare, ſuæ Rationis infirmæ libertatem præferre, eâque cœcâ Duce in erroris avia, deſertâ veritate, ſpontè proruere.

XIV. Porrò ſicut tota iſta authoritas Eccleſiæ hactenus aſſerta merè Miniſterialis, Vicaria, atque â Chriſto mandata eſt; ità & ſuos mandati fines nunquam egredi attentat Eccleſia. Omne illud Imperium tendit ad ædificationem Corporis Chriſti, & ad ſalutem æternam fidelium: unde eos ſibi limites poſitos ipſamet agnoſcit, ut in iis opinionibus & quæſtionibus ſua decreta interponere nunquam ſoleat, imò nec poſſit, quæ merè ſunt profanæ, & ad Phyſicam, Aſtronomiam, cœteraſque profanas artes pertinent; ſuapte

verò naturâ ad ſalutem & vitam hominum æternam, eruditionémque ſalutarem nihil faciunt, ſive in unam, ſive in alteram partem verſentur. Indignè nimis Catholicis imponitur, Pontifici aut Eccleſiæ, duo eſſe tria, aut nullos dari Antipodas, definienti cœco obſequio eſſe aſſentiendum: In his artibus & ſcientiis, cuilibet liberum eſt ſentire ac docere, quod & magìs lubet, & verum, aut veri videtur ſimilius. Ad Eccleſiæ verò ditionem non pertinent, niſi aliqua ex parte lædant fidei doctrinam, aut Sacras Scripturas falſi, erroris, ignorantiæ, aut mendacii ſuſpicione aſpergant, ubi tamen evidens illarum mens, & nullâ interpretatione aliâ congruâ explicabilis (proùt in his rebus ad ſalutem minimè ſpectantibus neceſſe eſt) pateſcit. Non enim hoc ſuæ Eccleſiæ, non Conciliis, non Patribus dedit Chriſtus, ut populum fidelem Aſtronomum facerent, Phyſicæ, Chronologiæ, Hiſtoriæ profanæ, rerúmque ſimilium ſine ullo errore peritum; ſed ut in negotio ſalutis animas deducerent, & doctrina merè cœleſti inſtruerent: In Eccleſiæ velut Crucifixi Schola ſatìs eſt docere, ſatìs ediſcere, quæ verè de Religione credenda, quæ facienda, ut colatur & ametur Deus, ſalúsque æterna ſecurè & tutò obtineatur.

XV. Veritatis prætereà cœleſtis, ad fidem, ſalutémque noſtram pertinentis, nequaquam ſe dominam aut arbitram gerit, ut pro ſuo arbitratu Chriſti doctrinam effingere, reformare, atque invertere poſſit; ſed veluti depoſitaria, cuſtos & Judex, ex eadem mandata ſibi poteſtate, ſemetipſam vinculis, quibus potuit, omnibus

adſtrin-

adſtrinxit, omnésque innovandi vias ſibi præcluſit; dum eâ ſe lege teneri, probè perſpicit, ut nulla conſtitui debeant, aut poſſint dogmata, niſi quæ ab ipſo Chriſto revelata, ab Apoſtolis verbo Dei ſcripto & tradito accepta, & jugiter ad nos uſque propagata fuerunt. Celebris eſt illa Vincentii Lyrinenſis ſententia ità de Eccleſia ſcribentis: *Non nova fidei dogmata ſtatuit, ſed vetera eruit:* Scilicet ex ipſis Sacris Scripturis, & Traditione per rectam interpretationem & argumentationem, velut è ſpicis grana, ſuas definitiones excutit, obſcura explicat, & adverſus perverſas & ſiniſtras Adverſariorum interpretationes defendit. Doctrina enim â Chriſto tradita, perfecta, atque integra fuit, & ipſe omnia, quæ audivit â Patre, nota fecit Apoſtolis, juſſitque Apoſtolos docere gentes omnia, quæcunque ipſe mandaverat; ſine impietate ad illam aliquid adjicere non poſſumus, ne veluti mancam & imperfectam temerè aut incautè accuſemus. Inde ullas ſibi novas revelationes factas eſſe, nunquam Eccleſia jactavit; ſed præviis precibus, ſtudio, labore, frequenti collatione, & aliâ omni humanâ induſtriâ veritatem ex Sacræ Scripturæ oraculis, & Traditione per concordem Patrum antiquitatem deducta ſcrutatur: Spiritus verò Sanctus ſecundùm promiſſa Chriſti ſemper adfuit, atque adfuturus eſt judiciis Eccleſiæ, eum in finem, ut dum Sacræ Literæ & antiqua Traditio diligenter conſuluntur, tunc interpretatio recta, rectáque argumentatio inſtituatur, nullusque error in easdem ſubrepat, atque ità, quod ſemel hoc aſſiſtente ac dirigente judicatum, definitum, imperatúmque fuit, poſthàc retracta-

tractare, & refigere, non ampliùs integrum ipſimet ſuperſit.

XVI. Teſtatur hanc utramque Eccleſiaſtici Imperii moderationem ipſamet Sacroſancta Synodus Tridentina *Seſſ.* 4. *Decreto de editione & uſu Sacror. Libr.*, ubi imprimis res fidei & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentes â quæſtionibus Philoſophicis & quibuscunque profanis diſcernendas haud obſcurè indigitat: deinde in illis non modò Sacræ Scripturæ ſeipſam ſubjicit, ſed, quò arbitrarias in ſempiternum interpretationes excluderet, quibus hominum inventa pro Scriptura venditantur, lege dictâ ſpopondit, eandem Scripturam â ſe intelligendam eſſe juxta Sanctorum Patrum conſenſum, â quo ſe nunquam receſſuram profitetur, proteſtatúrque omnibus tum Conciliis, tum fidei profeſſionibus â ſe editis, nullum ſe dogma ſuſcipere, quod non ſit antecedentis omnis ævi traditioni conſentaneum.

XVII. Unde ineptè crimini vertetur Eccleſiæ, quòd ex anticipatis opinionibus omnia aut pleraque peragantur. Nihil enim magìs apud Chriſtianos inculcatum eſt, quàm eſſe antiquæ traditioni conſtanter inhærendum, utpote cujus conſenſione & ipſa Sacrarum Scripturarum loca indigent, ut iis tutò incumbat Eccleſiæ judicium; dum autem ſecus fieret, Apoſtolorum præcepta violarentur. Neque aliâ ratione Concilia quædam turpia evaſerunt Conciliabula, quàm quòd aliter, quàm ex anticipata Majorum ſententia, nullâ præviâ maturâ deliberatione, conſultatione, disquiſitione, prædominante vi

& vi-

& violentiâ, ex ſuis privatis affectibus controverſas fidei quæſtiones dijudicare, ſuásque deciſiones vel vi extortas, vel fraudibus & dolis quorundam fabricatas aliis Epiſcopis, per modum Legis Imperatorum quoque favore ac potentiâ nonnunquam ſuffultæ atque firmatæ, obtrudere attentârint. Probata verò inter Catholicos Concilia non eo tantùm nomine fidem merentur, & veritatem aſſecuta creduntur, quòd multorum ſuffragiis res ibi peractæ ſint, ſed quòd Epiſcopi Literas Divinas & germanam traditionem eâ, quâ par eſt, diligentiâ, fide ac ſinceritate conſuluerint, examinârint, & ſecundùm eas ſententiam ediderint. Et vel ideò Concilia coguntur, ut Epiſcopi traditionem ſuarum quisque Eccleſiarum velut teſtes cuſtodésque ſimul, & Judices commodiùs tutiúsque colligant, & mutuis ſeſe doctrinæ, induſtriæ, ſtudiorum, luminis, ſapientiæ & conſiliorum præſidiis juvent.

XVIII. Quamvìs verò nullibi ſplendidiùs, ob eandem rationem modò expoſitam, Eccleſia ſuam de rebus fidei dijudicandis ac decernendis auctoritatem exerceat atque demonſtret, quàm in Conciliis; ab his tamen pravæ artes, affectus perverſi, vis & metus, illecebræ, partium ſtudium abeſſe debent, ut plenâ libertate veritatem ſequantur. Ultrò enim concedimus & nos, atque affirmamus, poſſe Catholicos Epiſcopos, etiam in Conciliis, ſuum oblivisci munus, & affectibus in transverſum agi. Reverâ lugendus aliquando contigit in pluribus Epiſcopis lapſus. Juſto, quanquam occulto, judicio lapſum ejusmodi permiſit quidem Deus; aſt nunquam permiſſurus eſt, univerſam Eccleſiam errori conſentire. Cùm

enim omnia ſuaviter diſponat, & humano modo in Conciliis rem perfici velit; Epiſcopos ſuo permittit arbitrio. His legitimè, & in ſuo nomine congregatis opem & aſſiſtentiam promiſit, atque etiam confert omnia gratiæ interioris adjumenta, quæ neceſſaria ſunt, ut ſuo ipſi fungantur, ſicut oportet, officio, & quibus, ſi voluerint, omnibus minis, terroribus, pollicitationibus ſuperiores, invicto ſemper & infracto animo in tuenda veritate ſtare poſſint; Sed per hanc interioris gratiæ ſubminiſtrationem non omni velut humanitate illos Paſtores exuit. Quapropter tum demum, quando ritè, ſervatâ ſcilicet ſuffragiorum libertate, & adhibitâ omni humanâ induſtriâ ac diligentiâ, peracta ſunt Concilia ipſa Oecumenica, nulla dubitatio futura eſt, quin ibi Chriſtus & veritas adfuerint, & Spiritus Sanctus ità humanam infirmitatem, & cœcos, ſiqui erant, affectus Epiſcoporum compreſſerit, ut unius veræ doctrinæ habita fuerit ratio. Atque inde maximè elucet Divina virtus & providentia, quòd medios inter altercantium Epiſcoporum motus ſemper erumpat victrix ac triumphans veritas.

XIX. Cœterùm diligentiam illam, & reliquas ad Canonicum judicium, & Imperium ſacrum interponendum requiſitas conditiones omnes adhibitas fuiſſe, meritò præſumitur, imò certum eſt; quoties Epiſcopi ſive congregati, ſive diſperſi decretum dogmaticum fidelibus proponunt, aut jam â Sede Apoſtolica latum acceptant & approbant. Quamvis enim Chriſti Capitis inviſibilis aſſiſtentia & Spiritûs Sancti gratia, quam nos Catholici Conciliis tribuimus, ut doctrinam Chriſti intactam

ſer-

ſervent, ſit hypothetica, ùt Scholaſtici loquuntur, id eſt, è quibusdam conditionibus aut Legibus pendeat; ipſa tamen Eccleſiæ immobilitas & infallibilitas in Chriſti doctrina & negotio ſalutis prorſus abſoluta eſt, nullis legibus aut conditionibus adſtricta, atque adeò ipſa Eccleſia nunquam opiniones adoptabit veræ fidei, Sacræ Scripturæ & traditioni contrarias, & nullis diaboli artibus in errorem deduci poterit. Divinum certè Eccleſiæ Caput permittere, ſalvis ſuis promiſſionibus certiſſimis, nunquam poteſt, ut ſua Sponſa exitialibus erroribus conſentiat, quam puram, immobilem & veritatis columnam uſque ad conſummationem ſæculi eſſe voluit.

XXI. Neque enim Divinæ providentiæ, quæ in neceſſariis nunquam deficit, deeſſe media neceſſaria poſſunt, queis veritati laboranti ſuccurrat, faciátque, ut vel reliqui Epiſcopi ſeſe errori ſtatim opponant, retentâ avitâ & verâ Religione; vel hi ipſi, qui in errorem incauti lapſi fuerant, citò reſipiſcant, ùt in Concilio Ariminenſi contigerat. Nam illud inprimis apud Catholicos liquet, & omnes Epiſcopi confitentur, ſine graviſſimo crimine Chriſti doctrinam â ſe violari non poſſe, & ſiquis Chriſtianum populum in errorem vel docendo & prædicando, vel conſentiendo & connivendo induxerit, hunc ſine publica confeſſione ſui criminis & recantatione aut retractatione erroris decedentem, vix aut nequicquam veniam â Deo ſperare poſſe. Quis autem ſibi perſuadeat, tot Epiſcopos & Paſtores â Spiritu Sancto poſitos ad regendam Eccleſiam Chriſti, quam acquiſivit ſanguine ſuo, datos in ædificationem, non autem in de-

ſtructionem, conſpirâſſe adverſus doctrinam Chriſti, & neminem, quod ſui muneris erat, auſum reſiſtere corruptoribus; nullum inter ipſos tantæ fraudi, tantóque ſceleri larvam demum detraxiſſe, & palàm confeſſum, ſe minis, fraudibus, aut iniquis aliorum machinationibus, occultiſque artibus compulſum ad veritatem Religionis inſigni proditione labefactandam? De tot juſtis probis & doctis hominibus, ex univerſa Eccleſia in unum collectis, id ne cogitari quidem poteſt. Et ſi cogitari vellet; reliqui certè Paſtores per orbem diffuſi, utpote ſuæ libertati relicti, dirigente ac providente ſuaviter & fortiter Eccleſiæ Capite Chriſto non reclamare non poterunt adverſus errorem, qui publico aliquo judicio Eccleſiaſtico ſive ex parte Summi Pontificis ſive ex parte nonnullorum Epiſcoporum fidelibus ad credendum proponi attentaretur, ne ſcilicet error, cui non reſiſtitur, approbetur; & veritas, cùm non defenditur ab iis, queis ejusdem tutela & cuſtodia commiſſa eſt, opprimatur.

XXII. Attendendus igitur potiſſimùm eſt conſenſus Corporis Paſtorum cum Supremo Capite conſpirantium, utut per orbem diſperſorum. Nam cùm Concilia rariùs cogi poſſint, & his omnes & ſinguli Epiſcopi reipsâ præſentes non interſint, ſed aliqui duntaxat ex ſingulis aut Regnis aut Provinciis aut Nationibus; ordo & æquitas poſtulat, ut â cœteris abſentibus, qui Judices pariter ſunt in cauſis fidei, probentur & acceptentur, quæ â Conciliis ſunt ſtatuta. Probant autem & acceptant, ſaltem tacitè, dum ſcientes Decretum aliquod vel â Summo Pontifice, vel in Concilio editum, & omnibus

fideli-

fidelibus propoſitum, â multis Epiſcopis, præſertim loco natæ controverſiæ vicinioribus, expreſsè receptum aut primò ſancitum, non contradicunt, nec reclamant, & tum inter ſe, tum cum Romano Pontifice, velut unitatis Capite & centro, perpetuæ communionis vinculum retinent: proùt in hac potiſſimùm fidei & communionis Catholicæ unitate per omnes diſperſas Eccleſias diſſeminata Irenæus & Tertullianus certiſſimam veræ doctrinæ dignoſcendæ ac ſequendæ regulam & normam collocârunt: In qua & Summam vim poſuit Illuſtriſſ. Boſſuetius *in Declarat. Cleri Gallic. circa poteſt. Eccleſiaſt.* ità ſcribens: „Multas hæreſes ùt ſine Conciliis, ità ſine ſpe„ciali Romani Pontificis definitione damnatas fuiſſe. Ne„que enim Eccleſiæ talem ſententiam expectârunt, ut „Manichæos, Ophitas, Tertullianiſtas, aliásve manifeſtè „impias, ſive obſcuras levésque ſectas per loca excitatas „aut horrerent, aut contemnerent. Ergóne (pergit „idem) ſingulares Eccleſiæ â quibus ſtatim rejectæ ſunt „(Sectæ illæ) ineluctabili auctoritate gaudebant? Mi„nimè: ſed profectò ſic habet, ſemel conſtituto hoc cer„to dogmate, vim illam ultimam & ineluctabilem uni„tate & conſenſione conſtare; id quoque valere, quo„cunque modo ſe illa conſenſio declaraverit, ſive Con„cilia congregentur, ſive non congregentur. „

XXIII. Nam & ipſa Conciliorum Generalium auctoritas non ſatìs firma ac certa exiſtimata quandoque fuit, niſi poſtquam de communi ejusmodi Paſtorum conſenſione, conſpiratione, & acceptatione conſtabat; nec mirum videri debet, ſi ante hanc nonnulli eorum de-

finitionibus obluctati fuerint, non ex dubio juris, ſed facti, id eſt, quòd dubitârint interdum non de infallibilitate Concilii verè Oecumenici, ſed de vera quorundam Conciliorum in particulari œcumenicitate. Exemplum præbet Concilium generale V., cui illæsâ fide multi in Occidente, ac præſertim in Gallicana Eccleſia reſtitêre, eòquòd illud pro œcumenico non haberent, nec reciperent; atque prudenti œconomiâ erga ipſos agendum eſſe, cenſuit aliquando Sanctus Gregorius Magnus, donec tandem ubique conſenſu communi plurium Eccleſiarum receptâ & cognitâ ejus auctoritate, licitum ampliùs non fuit ipſi obluctari. Non tamen eo conſenſu, acceptatione, & approbatione Synodus, ſi verè œcumenica & legitima fuit, idcircò indiget, ut robur habeat & inconcuſſam authoritatem, quam habet â Chriſto; ſed quia conſenſus & acceptatio Eccleſiarum ſignum & argumentum eſt velut â poſteriori, quo declaretur Concilium verè œcumenicum & legitimum fuiſſe, ac ùt tale ab omnibus agnoſcendum & admittendum. Quid enim prodeſſet, nôſſe, Eccleſiam in ſuis definitionibus non erraturam adhibitis certis quibusdam conditionibus; ſi privatorum Syndicatui & arbitratui relinqueretur, an conditiones illæ adhibitæ fuerint, quando definitiones ſuas fidelibus credendas proponit? Quòdſi ſemel Libertinis arbitraria ejusmodi, de debita Epiſcoporum & Conciliorum cura ac diligentia dubitandi, licentia permittitur; ecquis adeò cœcus eſt, qui non videat, omnia mox Pontificum & Conciliorum judicia labefactari, per conſequens fidem continuò fluctuari, & in ſalutis negotio incerta omnia ac intuta fore?

XXIV. Solus itaque conſenſus Paſtorum, authoritate Chriſti aliquid credendum fidelibus proponentium, ſatis cognitus omnibus norma & regula eſt, quâ certò veritatem cœleſtem attingere & aſſequi poſſint, & cui omnes debeant non reverentiam tantùm externam, & obedientiam, ſed & internum mentis obſequium absque omni ulteriori examine. Nec intereſt, quo privato motivo ſinguli ducantur, ut conſentiant: ſicut regula obſequii, quod Legi debetur, non eſt motivum Legis aut Legislatoris, ſed Lex ipſa, ad quam unam attendere oportet: cœteroquin pro vario, quod ſibi quilibet privatus ac ſubditus ad arbitrium effingeret, Legis motivo obſequium ſuum vel præſtaret, vel recuſaret, quo nihil Reipublicæ benè ordinatæ magìs noxium ac periculoſum poſſet excogitari; Ità, quæcunque demùm fingi & excogitari poſſunt adſcititiæ ſive externæ conſensûs Paſtorum, aut eorum ſilentii & non reclamationis cauſæ, ſemper iſtud firmum ac ratum ſtabit ex promiſſis Chriſti, apud quem non eſt impoſſibile omne verbum, Spiritum veritatis nusquam permiſſurum eſſe, ut aliquem in fide & doctrina Religionis, per conſequens in negotio noſtræ ſalutis æternæ, errorem Eccleſia quoquo modo approbet.

XXV. Ex omnibus hiſce fuſiùs hucusque deductis demùm concluditur, quàm firmâ certaque baſi Catholicorum fides nitatur, & meritò humanæ Rationis libertatem arctet, ſcilicet ipsâ revelantis Dei veracitate ac authoritate, cùm doceat credenda omnia, quæ in Scripturis & Traditionibus Divinis continentur: Revelatio autem

tem illa probatur ex Eccleſiæ teſtimonio, quod nobis certò conſtat ex conſenſu Corporis Paſtorum, ſuo cum Capite conſpirantium; teſtimonium verò illud verum & indubitatum eſſe, demonſtrat conceſſa divinitus veræ Eccleſiæ auctoritas & inerrantia; quæ porrò vera ſit illa Eccleſia divinitus inſtituta, ex motivis credibilitatis & ſignis atque characteribus perſpicuis etiam ipſi ſanæ rationi facilè innoteſcit. Cognito igitur hujus teſtimonio ac judicio publico quidquid opponitur, vel ſuggeſtione ac tentatione dæmonis, vel Libertinorum omnem certitudinem fidei evertentium artibus, id omne neceſſariò falſum dignoſcitur: *ut omnes propoſitionum rivulos*, teſte Sancto Hieronymo contr. Lucifer., *uno Eccleſiæ ſole ſiccare* facile ſit; & ex Sancto Auguſtino Lib. de hæreſ., *ſuperfluè quæratur, cur contrà iſta ſentiat Eccleſia Catholica? cùm propter hoc ſcire ſufficiat eam contra iſta ſentire.*

XXVI. Nec tamen prepterea prudens quisquam, perſpecto & maturè expenſo integro hoc ſyſtemate, juſtam ſibi anſam ſuppetere exiſtimabit, vagè adeò fidem Carbonariam, vulgò Kohlerianam toties decantatam, aut Mahometanam ignorantiam ac ignaviam nobis Catholicis imputandi: cùm fidem non ſine ratione exigamus, imò cuicunque poſcenti rationem dare parati ſimus, priuſquàm poſtulemus, ut noſtræ doctrinæ fides habeatur. Medio inter duo extrema â ſe invicem quàm maximè diſſita tramite incedimus, inter ſupinam, inquam, inſcitiam & vecordiam, & inter curioſitatem inſatiabilem: non ſumus in noſtra fide aut leviter creduli, aut præ-

fractè

fractè obſtinati. Mahometi ſectatores tam non poſſunt ſuæ fidei rationem afferre, ut eam indagare capitale crimen habeatur; eóque ipſo palàm faciunt, quo demum ex panno illud ſegmentum ſit, quod nec vendi, nec emi â quoquam permittatur, niſi in officina lucis omnis experte. Nos Catholici verò, quamvìs myſteriorum arcanorúmque fidei argumenta talia non afferamus, quæ ratio naturalis capiat, ſed Eccleſiæ proponenti neceſſario mentis obſequio aſſentiendum doceamus; non tamen omittimus, rationum momenta afferre certiſſima, dum oſtendimus, quòd illa ſit divinitus fundata, & authorata.

XXVII. Denique quanquam ſola iſta authoritas ad certitudinem fidei habendam & revelationem Divinam nobis aſſecurandam ſufficientiſſima ſit; non tamen omnes Catholici huic ſoli acquieſcere ità debent, ut ulteriori inquiſitione ſibi cenſeant interdictum. Plebs equidem imperita & rudis meritò & prudentiſſimè in hac ſola conquieſcit, dummodo â Paſtoribus rectè inſtituatur circa auctoritatem veræ Eccleſiæ, ejúsque diſcernendæ notas, quæ eidem non tantùm præviæ ſatellites fidei ſuæ erunt, ſed & comites atque cuſtodes; Atque ità fiet, ut ipſimet intelligant, quàm juſtè ipſis omni prorſus dubitatione interdicatur ab Eccleſia, & rationabile ſciant â ſe obſequium exigi, & ſic Divino lumine adjuti, ſedato omni dubitationum tumultu, prudentis ſuæ credulitatis pace fruantur, quâ, ingenti noſtro bono, plenos nos optabat Apoſtolus: *Deus*, inquiens, *repleat vos omni gaudio & pace in credendo. Rom.* 15. *v.* 13.

XXVIII. Epiſcopis autem, Paſtoribus, & Sacris Eccleſiarum Miniſtris, quibus erudienda creditur plebs Chriſti, ulteriori labore & inquiſitione opus eſt, ut etiam ſingula dogmata, ea præſertim, quæ diverſis temporibus & locis, atque viciniis impugnantur, ſuis ex fontibus, nempè Sacra Scriptura & Traditione, propugnare, dubitationes verò populo injectas eximere, ac hæreditatem Chriſti, depoſitúmque fidei ſibi concreditum tueri poſſint. Cùm enim non in alium finem dati ſint populo Dei Magiſtri & Duces, niſi ut illum doctrinâ ſanâ imbuant, & in veritate confirment, & ab erroribus arceant; vires etiam ſibi doctrinâ & pietate parent neceſſe eſt, quibus muneri inſtitutóque ſuo reſpondeant. In Conciliis dogmatum diſcuſſio ex hactenus dictis ab Epiſcopis neceſſariò adhibenda eſt; & Eccleſia non ſolâ ſuâ auctoritate ſupremâ, quamvìs tot rationibus extrinſecis munitâ, ſed etiam diſcuſſione, examine, probatione, non imperio tantùm, ſed etiam ſuaſione ac doctrina cum fidelibus ac filiis ſuis etiam rebellibus agere vult. Imò ipſa illa infallibilis Chriſti aſſiſtentia Eccleſiæ promiſſa non ſupernaturalibus & prodigioſis viis præſtatur, ſed ordinariis potiùs ac ſuavibus modis, ſub quibus tamen ejus providentia admirabilis latitat; quos inter non poſtremus & ejus conſiliis facillimus eſt, ſi præficiat doctos, aut doceat præficiendos; quos ſingulis erroribus ſuo tempore naſcituris prævidit atque decrevit opponendos. Et quamvìs tales ſuæ Eccleſiæ penitus deeſſe, nunquam paſſura ſit ſapientiſſima ejus providentia; ſinguli tamen eam præcipuam & muneris obligationisque, & gloriæ ſuæ partem ex-

iſtimare deberent, ut ſtudio indefeſſo humilibus precibus conjuncto aptos promovendo illi Divinæ providentiæ fini ſeſe reddant. Manifeſtum eſt hanc in rem Apoſtoli præceptum. *Oportet enim*, (inquit ad Titum cap. 1.) *ut Epiſcopus potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt arguere.* In II. verò ad Timoth. cap. 4. *Prædica*, inquit, *verbum, inſta opportunè, importunè, argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina &c.* Quam certè legem Apoſtoli de Epiſcopis conceptam, â Sanctis Patribus & Conciliis toties inculcatam, ad omnes cujuſcunque generis & gradûs Paſtores extendere, nimis ſeverum non erit. Singulorum enim eſt gregem paſcere ac tueri. Quod quidem præſtari etiam quandoque poſſe per ſubſidiarios, non negatur: ſed tum demum laudabiliter præſtabitur, cùm Paſtores deligendis non tantùm optimis ſubſidiariis, ſed & ſibi per laudabiles Seminariorum, Univerſitatum ac Scholarum publicarum inſtitutiones, reformationes ac ordinationes formandis fuerint apti ac intenti; & ipſi quoque ad curam gregis conferant diligentiam ſuam, doctrinam, ſapientiam, pietatem & aſſiduum precum ſtudium, ne, ſi ſolo Paſtoris nomine & honore contenti ſint, aut glorientur, ex ignorantia, deſidia, & ſuperbia mentem fruſtrentur ſummi omnium Paſtoris JEſu Chriſti.

 CAP. X.

CAPUT X.

Eadem Eccleſiæ Authoritas Libertatem agendorum & rationem Chriſtianam moralem ſecundùm principia revelata neceſſariò admoderatur, & tutò regit.

SUMMARIA.

I. *Religio Chriſtiana etiam docet agenda, & mores inſtruit.*

II. *Inde veritatum Religionis ſpeculativarum, & practicarum diſtinctio, quæ moralem Chriſtianam conſtituunt.*

III. *Neque hæc ideas proſus liberas admittit,*

IV. *Inquirenda ſollicitè & hujus veritas,*

V. *Et inveniri per ſolam rationem poſſe videtur, velut eadem cum Jure Naturæ nobis congenito.*

VI. *Sed hìc etiam Ratio multùm obſcurata ac debilitata eſt per peccatum originale, ejusque effectus.*

VII. *Quam Deus inde ab Adamo uſque ad diluvium frequentibus mediis extrinſecis, ut apparitionibus, & ſuſcitatis Prophetis, adjuvit in propaganda per traditiones Parentum Lege Naturali.*

VIII. *Conditis civitatibus ſive Rebuspublicis etiam Legibus Imperantium inculcanda neceſſariò fuerat, non tamen ab omni per has errore immunis ſervata.*

IX.

IX. *Deus eandem populo Iſraelitico, velut ſuæ Reipublicæ ſpeciali, præter alias Leges cæremoniales & Judiciales, per Moyſen promulgavit.*

X. *Ab hoc tum populi, tum Sapientes Ethnici plurima mutuati ſunt, qui præ aliis meliùs diſciplinam moralem tradidiſſe Ss Patribus viſi ſunt.*

XI. *Non tamen ab omni errore immunes fuerunt, ſed per hos æquè,*

XII. *Ac per corruptam Gentilium Theologiam, cui immixta quoque fuit, plurimis abſurditatibus contaminata.*

XIII. *Penes ipſum quoque populum Dei electum â perverſis Scribarum & Phariſæorum traditionibus interverſa fuit.*

XIV. *Hos errores omnes Chriſtus profligavit, ac Jus Naturæ integrum in Evangelio reſtituit, docuitque;*

XV. *Multò tamen perfectiùs, ac pleniùs:*

XVI. *Ut idcirco Gentilibus tantùm ejusdem portio, Chriſtianis verò plenitudo obtigiſſe Ss Patribus videatur.*

XVII. *Gratias porrò ſuas uberiores addidit, quibus tanta ejus perfectio attingi poſſet;*

XVIII. *Hinc Legem Naturalem Divinam & ſuam efficit, ut una eademque ſit Naturalis, ac Evangelica & Divina moralis;*

XIX. *Atque ad finem ſupernaturalem, ſcilicet operandam ſalutem noſtram, & conſequendam æternam beatitudinem illam ſublimavit.*

XX. *Sacrâ Scripturâ agnitâ & divinâ revelatione nobis conſtante, alia principia ſolâ ratione nobis cognita ſuperflua & inſufficientia ſunt;*

XXI. *Imò maximè etiam periculoſa non privatis tantùm, ſed & Reipublicæ.*

XXII. *Nec ipſa Revelationis divinæ principia, utut certiſſima, privatorum arbitrio relinquenda.*

XXIII. *Sed & hìc ad auctoritatem Eccleſiæ recurrendum;*

XXIV. *Authoritatis pondus in Jure Naturæ cognoſcendo agnoverunt & Gentiles & S. Auguſtinus.*

XXV. *Patres Eccleſiæ id continua traditione propagârunt;*

XXVI. *Eandem Eccleſiæ authoritatem uſus omnium Conciliorum perpetuus,*

XXVII. *Et praxis Pontificum in damnandis variis propoſitionibus Juri Naturæ adverſis docet.*

XXVIII. *His ex principiis etiam Gentiles facilè â Doctoribus tutò ad certam ejus notitiam adduci poſſunt; iis nondum cognitis, error facilè condonatur circa particularia Juris Naturalis præcepta remotiora.*

XXIX. *Ratio in his non penitus excluditur;*

XXX. *Concluſio inde deducta Libertiniſmi ſub immodicis virium rationis humanæ elogiis latitantis periculum edocet.*

REligio Chriſtiana non tantùm veritates divinas & myſteria â Deo revelata proponit, ac fidem illis habendam exigit; ſed ea eſt ejusdem indoles, ut præter fidem etiam vitam ad omnem honeſtatem compoſitam ab hominibus ſibi addictis, & agnitionem veritatis ſemper
cum

cum ſolida pietate conjunctam requirat, teſtante Apoſtolo ſuperiùs laudato, qui ſolidam veritatis notitiam eam vocat, quæ fidem habet pro fundamento, probitatem pro regula, & bonorum æternorum acquiſitionem, ſive ſalutem ac beatitudinem æternam pro fine, ità Religionem & fidem deſcribens ſub initium Epiſtolæ ad Titum, quòd ſit agnitio veritatis, quæ ſecundùm pietatem eſt in ſpem vitæ æternæ.

II. Unde duplicis generis dividuntur veritates & dogmata. Alia ſpeculativa ſunt & dicuntur, quæ in mera contemplatione verſantur, & fidem tantummodo, ſive mentis aſſenſum poſtulant. Alia verò præter contemplationem & fidem, actionem quoque reſpiciunt, & mores humanos ad recti juſtique normam dirigunt, & practicorum propterea nomine veniunt. Et Populis quidem expectantibus beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris Noſtri JEſu Chriſti nihil magis neceſſarium erat atque utile, quàm ſcire, quæ in moribus actionibúsque humanis Deo placeant, atque diſpliceant, ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobriè & juſtè & piè in hoc ſæculo viverent.

III. Chriſtus Dominus enim non tantùm Redemptor eſſe voluit, cui fidamus, non tantùm Doctor & Magiſter, cui credamus, ſed & Legislator cum poteſtate loquens, cui obediamus. Quapropter ſicut in ſpeculativis illis fidei Chriſtianæ dogmatis â Chriſto revelatis credendis vel non credendis effrænem hominibus

bus aſſerere libertatem in ſummam Supremi ejusdem Magiſterii injuriam cederet; ità Supremæ ejus authoritati Legislativæ detrahit, qui circa agenda in negotio ſalutis, ſive circa doctrinam moralem Chriſtianam ideas purè liberas ſibi efformat, aliísque ingenerare contendit, libertatem, quam habemus in Chriſto, in occaſionem carnis vertendo, & in animalem quandam licentiam; cùm econtrà Spiritus Dei, & vera Religio non inſpiret ac ſtatuat independentiam, & exlegem acephaliam, ſed potiùs Chriſtianos ſubjectiores faciat voluntati Dei, atque verus & ſecundùm fidem Evangelii vivens Chriſtianus non cogitet ſe eximere, niſi â ſervitute peccati, & dominatu concupiſcentiæ, ac paſſionum ſuarum.

IV. Æquè igitur damnabilis cùm ſit vaga in agendo libertas, ac ipſemet ille arbitrarius in credendo libertinismus; inde in veritatem ejusdem moralis Chriſtianæ inquirendum, & vias magìs planas & rectas pro indaganda, invenienda & practicanda ejusdem ſcientia ingrediendas eſſe, nemo facilè ignoraverit, minùs negaverit, attentiùs animo recogitans, quòd utì Deo revelanti fidem tanquam obſequium mentis detrectare impium, ità eidem præcipienti & imperanti voluntatis obedientiam denegare piaculum ſit. Et reverâ: quàm perversè de actionibus moralibus actum foret, ſi nulla earundem certitudo exiſteret, aut deprehendi poſſet?

V. Eò equidem faciliùs pertingere rationis humanæ acumen exinde videtur, ut practicas moralis Chriſtianæ veritates ſuis viribus invenire & comprehendere poſſit, eòquod tota illa â Jure Naturæ non admodùm differat; imò ſi non ſola, præcipua ſaltem Juris Naturalis præcepta contineat. Jus autem Naturale homini ad imaginem Divinam condito congenitum, atque eidem â Deo velut radius Legis ſuæ æternæ impreſſum eſt, nec ex mente hominis, quousque rationalis eſſe non deſinit, unquam deleri, ac obliterari poteſt; adeò, ut ſolâ etiam ratione duce perſpiciendum, & bonum â malo, malum â bono diſcernendum ſit. Si enim illud ipſamet Lex æterna Dei ſive ordinatio Divinæ Sapientiæ neceſſaria creaturæ rationali participata, aut ejusdem radius homini â Deo impreſſus deſcribitur; Ratio certè imago & ſpeculum illud eſt, in quo æterna hæc Dei lex circa gubernationem creaturæ rationalis ad finem ſuum reſplendet ac repræſentatur, teſtante Propheta Regio: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultûs tui, Domine!* quæ res palmariam ejusdem â Lege Divina poſitiva differentiam conſtituit, quòd nullâ extrinſecâ promulgatione indigeat.

6. Nihilominùs & hìc eadem rationis humanæ imbecillitas ſimiliter ſeſe manifeſtat, & anguſtis admodùm hìc quoque limitibus & ſpatiis concluſa, ſola ferè principia univerſaliſſima tutò & absque erroris periculo cognoſcit: quoad particularia verò præcepta, quæ ex illis principiis veluti præmiſſis tanquam concluſiones vel remotè vel etiam propiùs deducuntur, ad Jus idem

Naturale omnimodè & abſque omni erroris periculo cognoſcendum & exhauriendum ſola ratio nequaquam ſufficit. Facit hoc nativa hominis in peccato originali concepti & nati infelicitas, & denſiſſima illa, quam in mundum affert, ignorantia, vitæ brevitas, ſenſuum organorúmque & totius corporis malè compacti animam aggravantis & deprimentis ſenſum multa cogitantem debilitas, faciunt præconcepta educationis â parentibus acceptæ præjudicia ac tenellæ juventuti inſtillata, mala aliorum exempla ſenſibus obvia, pravæ paſſiones & animi affectus, peccata propria rationem ipſam obturbantia, & vitioſi habitus inde ingenerati; quorum tanta eſt vis, ut non tantùm â veritatis ſtudio hominem avertant ac deterreant, ſed & ignarum in turpem erroris ſervitutem conjiciant, ac ſæpiùs malum pro bono, & pro malo bonum apprehendere faciant. Unde quamvìs eadem ratio adhucdùm imago Dei, & ſpeculum æternæ ejusdem Legis perſiſtat, nec deleri illa prorſus poſſit; ità tamen omnibus iſtis conſpurcatur & contaminatur, ut Divinas illas ideas perfectè & integrè non ampliùs repræſentet, ſed aliqua tantùm rudia veluti ejusdem lineamenta præſeferat, exhibeátque.

VII. Hanc profectò rationis humanæ imbecillitatem ipſa Juris Naturalis, quà latè patet, Hiſtoria luculenter loquitur, ex quâ & palàm fit, Deum ipſum ſuâ revelatione rationis infirmitati conſuluiſſe, & mediis promulgationis extrinſecis ſuccurriſſe, ac omni ævo eandem moralis doctrinæ ſcientiam partem Religionis

existi-

exiſtimatam fuiſſe. Simul ac creatus eſt â Deo Adamus; Author Naturæ Deus & creaturæ rationalis providus gubernator illi infinitæ Sapientiæ ſuæ legem indidit, concreavítque ſapientiam & juſtitiam, ùt ex Eccleſiaſtici *Cap.* 17. *v.* 5. *et ſeq.* patet, ut nimirùm ſeipſum regeret, atque poſterorum ſuorum non modò Pater, ſed & Interpres Legis Divinæ eſſet. Inde ab Adamo tum Religio, tum præcepta moralia particularia in Sethum, Enos, Sethíque benè moratos Nepotes ad Noëmum uſque propagata fuêre in Statu Naturæ ante diluvium. Noëmum poſteà ſecutus eſt Semus, ac inprimis Abrahamus Antiſtes Sapientiæ Summus, cujus hæres extitit Jſaacus, â quo in Jacobum, & ab hoc in filios propagata pluribus ſeſe argumentis prodidit. Parentes ſcilicet tum ſuos quique liberos erudierunt, rectíque & honeſti non minùs elementis, quàm vero de ſupremo Numine ſenſu imbuerunt. Sed ipſa illa ſapientia per lapſum Adami, quamvìs non penitus deperdita, aut extincta, multùm tamen quoad Naturæ quoque ſphæram vulnerata, imminuta & labefactata fuerat: quod vel ipſum illud filiorum Dei & filiorum hominum diſcrimen, in Sacra Scriptura mox memoratum, liquidò ſatìs manifeſtat. Unde nihil tum inſolitum fuit, quòd Deus ipſemet Patres familiarum perpaucos ſuis apparitionibus ſatìs frequentibus, & familiaribus veluti colloquiis inſtrueret, ex quibus reliqui ſcientiam illam haurirent; ac cum Religione & hanc continuâ traditione propagarent. Mediis pluribus extrinſecis humanam ignorantiam & imbecillitatem adjuvandam, ſuſtinendámque exiſtimavit. Patrato ſtatim Caini homicidio, ne

reliquis in exemplum cederet, incuſſurus aliis ejusdem criminis horrorem poſuit in Cain ſignum publicum, ut ejus interfector ſeptuplo puniretur: nec id ignotum eſſe voluit, dum Lamech id benè agnovit, dicens: *Audite vocem meam uxores Lamech, auſcultate ſermonem meum; ſeptuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò ſeptuagies ſepties. Gen. cap.* 4. *v.* 23. Henoch, qui ambulâſſe cum Deo dicitur, *Gen. cap.* 5. *v.* 22., Prophetam divinitus edoctum fuiſſe, ejúsque legem prædicâſſe, teſtatur Judas Apoſtolus in *Epiſt. Can.* híſce verbis: *Prophetavit ſeptimus ab Adam Henoch.* Invaleſcente magìs magíſque hominum malitiâ novum juſtitiæ ſuæ Præconem Deus conſtituit Noëmum, ut centum priùs annis molitione ſtupendi operis Legis Divinæ eis memoriam renovaret, partímque moneret ad pœnitentiam. Necquidquam verò proficiente Prophetâ mundum omnem aquis diluvii obrutum delevit, & hunc ipſum duntaxat cum ſuis octavum juſtitiæ Præconem Noë cuſtodivit. *Epiſt.* 2. *Petri* 2. Poſt diluvium verò varia alia inſuper conſtituit monumenta, & perpetua divinæ vindictæ ac miſericordiæ memorialia, ne homines in malum proclives unius veri Dei, legíſque divinæ unquam obliviſcerentur.

VIII. Aſt ubi aut alienæ potentiæ metu, aut aliâ quâvis ratione in majores cœtus & civitates homines coaluerunt; priſtinis moribus eò uſque vixerunt, ut â parentibus, quid jus, fásque, & quid nefas eſſet, acciperent liberi; Rectores autem Civitatum, rerúmque domini ſaltem, quæ è re civitatis eſſent, ſancirent, ſtatue-

rént-

réntque. Erumpere inde in ævum omne nefas, hominum pravitas magìs magíſque ſe prodere, fraudibus, dolis, ſe invicem circumvenire, ſceleribus injuriíſque nec modum, nec finem ſtatuere. Qui igitur rerum ſummam tenebant, ruere præcipiti caſu, & collabaſcere civitates intelligebant, nî vitia hominum ſuis circumſcriberentur limitibus, pœníſque coercerentur; cùm enim parentes negligentiùs ſuo munere fungerentur, feroces homines, legumque contemptores inde prodire neceſſe erat, qui perſuaſione & exemplo alios, ad impietatem & quævis ſcelera invitarent, & civitates non raró in maxima ſalutis ac tranquillitatis diſcrimina adducerent. Venenum enim iſtud, ſi ſemel quorundam mentes afflavit, longè latèque ſerpit, vires eundo ſumit, & incrementa inopinata. Atqueità ſpreto rationis imperio, & domeſticâ diſciplinâ neglectâ, ad obſervanda ea, quæ honeſta ſunt, quæ turpia, fugienda, homines authoritate publicâ ſanctionibúſque civilibus compellendi fuerant; cumprimis verò, quæ homo homini præeunte ac prælucente ratione debebat, ſedulò erant inculcanda, cùm proclives valdè proníque ſint mortales, ad ſe invicem ſtimulante habendi cupiditate lædendos, unde lites contentionéſque, & infinita, quibuscum civitatibus confligendum eſt, mala enaſcuntur. Sed & utrinque patuit, quod nunquam ferè non experientiâ eſt comprobatum, clariſſimum illud fulgentiſſimúmque lumen infuſum â ſapientiſſimo Numine, inſitúmque mortalium pectoribus, velut nubibus quibusdam obductis, abſcondi, nec cuivis, quid pulchrum, honeſtúmque ſit, quid turpe fœdúmve, ſemper perſpici.

ci. Nam & hunc in modum Naturæ Leges poſitivarum, utì vocari ſolent, involucris veſtitæ & circumſeptæ longè quidem latéque per civitatum omnium jura diſperſæ ſunt atque diffuſæ: ſimul tamen civiles ità iis confuſæ & commixtæ non tantùm, ut has ab illis ſecernere res ſummi & deſperati ferè laboris, doctiſſimis quoque viris viſa fuerit, ſed & per legislatorum ipſorum inſcitiam & malitiam obſcuratæ, atque non raro penitùs everſæ fuerunt.

IX. Specialem verò ſibi Rempublicam Deus ipſemet conſtituit, ac Abrahami poſteros, ex quibus filium ſuum Unigenitum, mundi Servatorem, & expectationem Gentium naſciturum, ſecundùm carnem deſcendere voluit, ſuum ſibi populum præ reliquis omnibus elegit, cujus ipſe Rex & Legislator eſſe dignatus eſt, ut idcircò is ipſe populus Dei electus, ejusdem verò Regimen Theocraticum jure compellaretur. Varias his Leges præſcripſit, quibus partim eorum cultum Divinum, ſacrificiorum & Sacramentorum legalium uſum ordinabat, partim Reipublicæ ejusdem regimen politicum & civile, ſubditorum imperantiúmque nexum, & varia vitæ civilis officia componebat. Imò & moralia addidit præcepta, queis morum diſciplinam ad juſti rectique normam exegit, atque ea digito ſuo in duabus tabulis deſcripſit *Exodi* 20; quamvis omnia illa (ſolâ circumſtantiâ diei Sabbathi exceptâ) ad Legem ipſam Naturalem pertinerent. Nam & jam tum in ipſis quoque Iſraëlitis, populo quidem Dei electo, rudi tamen & carnali, adeò eadem per concupiſcentiam, paſſiones inordinatas,

tas, & habitus vitioſos, ſiniſtras inſtitutiones, præconceptas opiniones obſcurata & obliterata fuit, ut Deus ipſe extrinſecâ hâc ejusdem promulgatione per Moyſen faciendâ opus eſſe duceret, tabulíſque lapideis conſignatam traderet, quam ex tabulis cordis carneis expunxiſſe videbantur. Ità enim teſtatur Sanctus Auguſtinus in Enarrat. in *Pſalm.* 57. „Scriptum eſt in tabulis, quod „in corde non legebant; non enim ſcriptum non habe„bant; ſed legere nolebant. Oppoſitum eſt oculis eo„rum, quod in conſcientia legere cogerentur, & quaſi „forinſecus admotâ voce Dei ad interiora ſua homo „compulſus eſt.„

X. Antiquiſſima proinde Hebræorum moralis ſcientia meritò compellatur, & ab ipſo orbis ortu originem trahit, ac perfectiſſima ſimul ſecuriſſimáque ad earum rerum cognitionem nos deducit, quam ab aliarum gentium Legislatoribus æquè, ac Philoſophis fruſtrà quæſieris. Quid? quòd ab Hebræis ad diverſos populos Gentiles major de vita rectè juſtéque inſtituenda ſcientia pervenit. Certè ab Abrahamo, viro utique probo & juſto, ac divinitus in multis inſtructo Chaldæos & Ægyptios practicæ hujus ſcientiæ fundamenta hauſiſſe teſtantur *Voſſius Libro de Sectis & Joſeph. Archæolog. L.* 8. Sed & Jacobus ejus Nepos in Ægyptum migravit cum familia, cujus Princeps Joſephus Ægyptiorum primores informâſſe memoratur *Pſal.* 104. *v.* 22. Inde ad Sapientûm ac Philoſophorum exedras quoque translata fuit, nec tamen ibidem ſatìs tuta extitit. Multa his laus debetur, imò & â Sanctis Patribus

bus iisdem, ac inter reliquos Pythagoræ, Platoni maximè, imò & Stoicis jure ſuo tribuitur. Eosdem verò multa ex ipſis Veteris Teſtamenti libris hauſiſſe, non eſt dubium. Stoicos cum doctrina Chriſtiana, paucis reſectis, in plerisque concordare, confidenter aſſerit S. Hieronymus *in Iſai. cap.* 8. Plato verò Moyſes Atticizans, ἀττικίζων, ſive Atticè loquens â Numenio Philoſopho Pythagoreo dictus eſt, ut Juris propterea Naturalis fontes, regulas, explicationesque Platone uberiùs tradidiſſe neminem, cenſeat Bœclerus; & miretur Doctiſſim. Fleury, cur non ejus potiùs commentationes tam Sanctis Patribus olim acceptas & familiares, ſecuti ac interpretati ſint Doctores Chriſtiani, quàm Ariſtotelis ſatìs quandóque jejunas. Pythagoras verò Samius plurimum quidem Thracibus Ægyptiíſque, multum tamen & Judæis debuit. Clemens Alexandrinus adeò circumciſum illum fuiſſe tradit. Vixit enim, peregrinandóque cùm alias regiones, tum maximè Perſidem luſtravit eo tempore, quo Judæi Perſas Babylonióſque inter adhuc degebant captivi; unde facile ipſi fuit & Judæos ſimul habere Magiſtros ſuarum doctrinarum, & Magos. Quid? quòd Daniel Propheta Princeps habitus eſt Magorum, qui tum extitit ſeptuagenarius ferè, cùm Pythagoras ibidem verſaretur. Moyſen quoque legit teſte eodem Clemente Alexandrino *Lib. Stromat. V.* indéque regulas ſuas minimè ſpernendas magna ex parte eſt mutuatus.

XI. Nec

XI. Nec tamen horum etiam errores diſſimulantur. Argumento eſt ſua ipſorum inter ſe compugnantia, patentiſſima nonnullorum ab ipſis ſancitorum perverſitas, ortarum, ùt fieri omni ætate conſuevit, Sectarum inter eos non tam ad emendationem rerum humanarum, quàm ad ingenii oſtentationem docentium multiplex diverſitas, & omnium denique interitus & oblivio. Immortalis enim eſt & inexpugnabilis veritas, enerve & ſponte ſua evaneſcens mendacium. Atque ut cœteros brevitatis causâ taceam, vel ipſe Plato reliquorum facilè princeps in ſua Republica, quam perfectiſſimam voluit, uxorum communionem permiſit, adulteria licita aſſeruit: omnium verò generatim lapſus Apoſtoli teſtimonio mox laudando patebunt: Hìc verò ſufficiat, quòd omnes paſſim conveniant, doctrinam Pythagoreorum obſcuram & ſuperſtitioſam, Platonicorum confuſam & perturbatam, Stoicorum tetricam, paradoxam & in multis abſurdam; Epicuræorum diſſolutam, impiam & impuram; Peripateticorum imperfectam ſaltem & abjectam, nimisque humanam; omnium verò in pluribus erroneam fuiſſe.

XII. Cœterùm & Gentilium Theologiæ id ipſum, velut altera Religionis & rationis Deum colendi pars, inſertum â Sacerdotibus, & Myſtis eorundem fuit; qui præter ea, quæ de ratione Deum ſacrificiis placandi, aut crimina expiandi, & quæ de Numine quemque ſentire oporteret, ſubinde & de morum honeſtate pariter, ac juſtitia multa præcepêre; cùm probè ſcirent, mente purâ ſcelerúmque experti Deum duntaxat coli poſſe quàm rectiſſimè. Imò ſub ipſis illorum fabulis & figmentis,

tanquam involucris & imaginibus, occultatam fuiſſe veritatem, & Juris adeò Naturalis capita longè præſtantiſſima latitâſſe, â pluribus eruditis præſertim. Gerard. Joanne Voſſio *de Idololatr. Gentilium*, & Fabio Planciade Fulgentio *in Libris.* 3. *de Mythologia*, & aliis evictum eſt & commonſtratum. Sed & illud certum, tot erroribus & indignis abſurditatibus cœleſtem veritatem pollutam & commaculatam ab his fuiſſe, ut in ipſo Naturæ Jure nihil ſanum, nihil integrum fuerit, multa, imò plurima corrupta, depravata, tenebríſque plusquàm Cimmeriis involuta. Teſtatur enim Apoſtolus *Rom.* I. *v.* 18. *& ſeq.*, omnes iſtos evanuiſſe in cogitationibus ſuis, & obſcuratum fuiſſe inſipiens cor eorum, & ex depravatione cordis eam ſecutam fuiſſe mentis aberrationem, ut â Deo traditi in paſſiones ignominiæ, & in reprobum ſenſum dati, in graviſſima & abominanda ſcelera ibidem recenſita, quorum vel nomina refugit & horret natura, prolapſi fuerint, imò eorundem monſtra in aris veneranda duxerint.

XIII. Intereà temporis major ſemper & conſtantior Dei eluxit ſollicitudo pro populo ſuo Iſraëlitico, cujus ſemel Magiſter & Legislator eſſe dignatus fuerat, quémque duræ adeò cervicis eſſe noverat; ne nimirùm is ſaltem in eosdem cum Gentilibus errores deviaret, ſuſcitando ſemper Viros ſapientiſſimos, Vatéſque Sanctiſſimos, qui & Sapientiam veram docerent, & mores populi in pejus ſemper ruentes emendarent. Et profectò in hoc ſaltem populo tot ſubſidiis divinitùs inſtructo Juris Naturalis ſcientia immunis ab omni labe ac errore ad poſteros & ultima ſæcula transferri potuiſſet &

pro-

propagari, errorum autem finis eſſe debuiſſet; niſi Scribæ & Phariſæi paſſionum ſuarum ſtudio in transverſum acti non tam rationis rectæ dictamina, aut doctrinam â Deo traditam & â majoribus acceptam, quàm inepta proprii ingenii commenta, falſas ſuas traditiones, ſiniſtras ejusdem Legis interpretationes, ac detorſiones hominibus propinare maluiſſent.

XIV. Chriſtus igitur non tantùm Doctor, ſed & Legislator â Patre ſuo æterno hunc in mundum miſſus, dispulsâ denſiſſimâ illâ, quæ orbi univerſo incubuerat, caligine, Legi huic morali priſtinum ſuum ſplendorem, integritatem, ac puritatem reddidit; impietatem verò, ſuperſtitionem & errorem proſcripſit penitus, ac profligavit. Atque eo fine nulla præcepta nova moralia addidit, ſed vetera tantùm per Moyſen promulgata explicavit, confirmavítque teſte Apoſtolo Joanne ejusdem Legis Chriſti Præcone *Epiſt.* 1 *cap.* 2. *v.* 7. *Non mandatum novum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio. Mandatum vetus eſt verbum, quod audîſtis.* Quam ob cauſam Waltonius doctiſſimus Anglus editor Polyglottorum Bibliorum in præfatione agnoſcit, dicítque, aurea eſſe ac veriſſima verba Pontificis Maximi Gregorii XIII. in Literis Apoſtolicis ad Regem Catholicum datis, quæ Bibliis Regiis ſunt præfixæ: Nempè: „Scripturarum Beneficium permagnum eſſe. Nam quod ad Theologiam „attinet, quæ eſt Summa Philoſophia, his libris omnia „noſtræ Religionis & Divinitatis myſteria explicantur: „quod verò ad eam partem attinet, quæ *moralis* nominatur, hinc quoque omnia ad omnes virtutes præcepta

„colliguntur. Quibus quidem duabus partibus omnis no„ſtræ ſalutis & felicitatis ratio continetur, ut nihil eſſe „poſſit horum librorum lectione dignius, nihil fructu„oſius, nihil omni hominum generi accommodatius, ni„hil majori doctrinâ & ſapientiâ refertius.„ Verbo: totum Chriſti Evangelium eſt ipſiſſima Juris Naturalis promulgatio tam plena támque auguſta, quâ plenior & auguſtior ſit nulla.

XV. In eo tamen totus fuerat Chriſtus, ut accuratiùs pleniúsque exponeret, quàm Gentiles quicunque Sapientes, ac Philoſophi, imò & Moyſes, atque ad perfectum adduceret, authoritate ſuâ tollendo & abrogando ea omnia, quæ Lex illa vetus Moſaica in Judæis velut pueris, carnalibus, rudibus, & imperfectis etiamnum toleraverat, vel ex prudenti diſpenſatione indulſerat, aut quæ ſaltem interdum falſæ tantùm Scribarum & Phariſæorum interpretationes & traditiones induxerant. Teſtis eſt prolixus ille, quem in monte habuit, ſermo practicâ morum ſcientiâ refertiſſimus. Ibi. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in Regno cælorum. Dico enim vobis, quia niſi abundaverit juſtitia veſtra plusquàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum.* Quâ perfectione attentâ nec mirari animum ſubit, cur idem Joannes Apoſtolus ſuprà laudatus iisdem Epiſtolæ citatæ locis, ubi mandatum vetus Legem Chriſti prædicat, è veſtigio ad„jiciat *verſu ſeq.* 8., „ Iterum mandatum novum ſcribo „vobis, quod verum eſt & in ipſo, & in vobis: quia te„nebræ tranſierunt, & verum lumen jam lucet.

XVI.

XVI. Ingens idcircò ea eſt Chriſtianorum præ Philoſophis Gentilibus & Judæis felicitas, quòd rationis Legíſque æternæ tantùm portio illis obtigerit, plenitudo Chriſtianis. Nam illi ex reſiduis primævæ illuminationis reliquiis, ex innatis anticipatæ veritatis ſeminibus, ex rationis ſuæ cum ſumma æternaque ratione reſidua quadam cognatione in æterna veritate multa veriſſima & ſanctiſſima inſpexerunt, & eâ parte Chriſtiani dogmatis conſortes extiterunt. At verò ſeu naturæ ægritudine, ſeu ſenſuum conſuetudine, ſeu curarum æſtu, ſeu vitiorum tabo, ſeu pueritiæ præjudiciis prægravati fatiſcere viſi ſunt in præclaro conatu; ùt ex ſupra dictis pateſcit. Ergò illis illuxit quaſi antelucanus quidam veritatis adventantis ſplendor, ſed multâ adhuc noctis caligine infuſcatus. At Chriſtianis ſol totus adſplenduit, tota veritas patuit, tota lex æterna, id eſt, Chriſtus ſe indulſit. Illis quaſi præludens prægustandam ſe obiter objecit ſapientia, nobis pleniſſimè & cumulatiſſimè ſeſe infudit. Ità enim Juſtinus Martyr habet *Apolog.* 1. „Minimè mirandum, ſi eos, qui juxta partem aliquam *ſeminariæ rationi* mores ſuos conformant, periculis objiciunt, ſcilicet „Philoſophos; verùm quòd ſecundùm *univerſæ rationis*, „quod Chriſtus eſt, notionem & contemplationem viventes in longè majora odia conjicere ope & operâ ſuâ dæmones coarguuntur, id demum admirationem excedit.„ Ubi advertere eſt, Chriſtianos & Philoſophorum caſtiſſimos non alio diſtare, quàm quòd hi rectæ rationis rivulum conſectati fuerint, illi fontem ipſum bibant; utrosque tamen perinde hâc unâ ſe fide, hac religione obligâſſe, ut rectæ rationi ſe coaptent. Ità nimirùm nihil

circa mores ordinavit Chriſti Lex, quod non præſcribat recta ratio, & modo quidem longè excellentiori, quàm ut ad mores Chriſtianos ſola ſufficiat ratio adeò ſauciata; interim tali profectò, ut, quæ ex rationis præſcripto honeſta ſunt, neutiquam habeat pro turpibus, & quas ipſa ſublimiores etiam commendat virtutes, & ratio commendet. Hanc ſi infideles ipſi conſulere velint præviâ omni opinione ſepoſitâ, mirabuntur, quantum lucis Evangelium attulerit ad perfectam Legis Naturalis intelligentiam; cogentúrque fateri, eum, qui vitam ſuam ad normam Legis Evangelicæ exegerit, bonum fore non tantùm Chriſtianum, ſed & hominem, Sapientem, Civem, et, quod plus eſt, Principem etiam cumulatè perfectum.

XVII. Cùm verò tanta Legis Naturalis â Chriſto traditæ & explicatæ ità perfectæ obſervatio vires in Naturæ per peccatum depravatæ & imbecillis multùm exſuperet; porrò Chriſtus Dominus, Naturæ lapſæ reſtaurator, non tantùm illam promulgavit, & quæ fugienda, vel amanda ſint, præcepit; ſed & abundantiores, ampliorésque addidit gratias & auxilia, quibus homo adjutus facilè & delectabiliter impleret, quæ jubentur, & ſic fortiter & ſuaviter ad ejus obſervantiam adduceretur. Quo ipſo differt â Pædagogo Legis veteris, & quibuscunque aliis Magiſtris, quòd non tantùm foris ſonet, & Legem ſuam manifeſtet; ſed ſimul intus tangat & ungat cor, intellectum ſuis illuſtrationibus illuminando, & voluntatem piis motionibus impellendo. Atque his gratiis uberioribus, quibus Legem ſuam comitatur, attentis, eandem utut perfectiſſimam & maximè arduam jugum ſua-

ve

ve & onus leve appellat, iis nimirum, quos cœleſtis ejusdem gratia confortat.

XVIII. Hinc eſt, quòd eadem illa Lex mores ad recti juſtíque normam dirigens, quam quidem Natura mentibus omnium hominum inſculpſerat, transgreſſio tamen tenebris obduxerat, nunc eâ ratione Divina & Evangelica prorſus reddita fuerit, & per verbum Dei tum ſcriptum, tum traditum ſublimata & canonizata, adeò, ut Lex una ſit Evangelica ſive Chriſtiana moralis, eadémque naturalis; & Religio Chriſtiana quoad dogmata practica ſive quoad agenda, quæ maximè ad negotium ſalutis pertinent, & partem Religionis alteram conſtituunt, compellanda non immeritò videatur Ratio quædam ſublimior; & perinde nobis ſit juxta rationem vivere, atque juxta veritatem, legémque æternam, aut ſecundùm Evangelium & Leges Chriſti vitam moderari. Quippe cùm ratio hominis idem ſit humanæ animæ, quod oculus Corpori; ùt oculo quantumvìs ſano, nemo quidquam videt, niſi quem lux cœlo affluens illuminat; ità ratione auſpice nemo benè vitam inſtituit, niſi ſupernè illam æterna ratio colluſtret. Ratio quippe noſtra ità lux eſt, ùt oculi lumina dicuntur, non infernè illuminantia, niſi ſupernè illuminata. Ideò Chriſtiani dicendi, imò & compellati ſunt â Patribus, quicunque ſecundùm rationem vixerunt. *Quicunque* (ait Juſtin. Apolog. 2.) *cum ratione vixerunt, Chriſtiani ſunt, quamvìs Athei, ſeu nullius Numinis cultores habiti ſint.* Qui verò in Legem Naturalem hodie peccant, ii non ſolvunt tantùm Naturæ & Rationis Jura, ſed etiam Chriſti & gratiæ ejus; ac proinde tum

ob

ob majorem & ampliorem cognitionis lucem cumulatiſſimè nobis affuſam, tum uberiora etiam gratiarum auxilia, majorum ſe ſuppliciorum reos conſtituunt, quàm Gentilis quilibet ejusdem Legis transgreſſor.

XIX. Prætereà ſicut obſervatio Legis Divinæ poſitivæ nobis ad finem noſtrum ſupernaturalem, æternam ſcilicet beatitudinem proficit; ità etiam obſervatio ejusdem Legis Naturalis hoc pacto per Evangelium ſublimatæ, & divinitus Canonizatæ, movente Spiritûs Sancti inſtinctu & lumine fidei dirigente adimpletæ, ad æternam ac ſupernaturalem beatitudinem hominem deducit. Lex enim vetus ſecundùm literam ſuam ſpectata ſolis aut promiſſionibus temporalium bonorum, aut pœnarum minis velut crepundiis Judæos tanquam pueros & rudes ſub pædagogo exiſtentes ſervósque ad ejusdem obſervantiam excitabat: Lex autem nova ſuorum præceptorum vel maximè moralium obſervationem in Chriſtianis, velut filiis, hæreditatis bonorum æternorum ſpe promovet, atque ſuſtentat.

XX. Illud igitur mirandum maximè eſt, quòd poſt tantam Evangelii lucem, moralem illam doctrinam & Legis Naturalis præcepta etiamnum ad ſolam humanæ prudentiæ faculam Doctores etiam Chriſtiani diſcutere velint & examinare ſummo cum labore ſuo, quo tamen Chriſtus ipſe Doctor noſter & Magiſter amantiſſimè nos eliberavit: Mirandum, quòd, poſtquàm patentiſſimus omnium, limpidiſſimus, & profundiſſimus fons, ex quo Juris Naturæ ſcientia hauriatur, extat Sacra Scriptura,

ad

ad lutulentos obturbatæ rationis rivulos confugiant; Mirandum profectò, quòd poſt ſolidam adeò pleniſſimámque inſtructionem ex verbo Dei ac revelatione Divina acceptam, alia principia ſolâ Ratione edocta invenire velint, ex quibus, absque omni ſubſidio principiorum revelatorum, ſolo Lumine Naturali poſſint omnia reliqua præcepta particularia vel immediatè, vel mediatè ſaltem deduci, quod plerumque fieri non poteſt, niſi per longos demum, obſcuros, ac diſtortos diſcurſus, qui vix ab eruditis, minùs â rudibus comprehendi poterunt. Sunt illa principia ſuis tantùm limitibus circumſcripta, nec univerſa facilè omnem officiorum homini de Jure Naturæ incumbentium latitudinem concludunt; tantum abeſt, ut ſingula id efficere valeant. Multa inſuper ſtatum quemcunque Naturæ & potiùs abſtractum reſpiciunt, otioſa propterea meritò in ſcientia morum directrice reputanda, quæ cùm tota practica ſit, non alium, quàm actu exiſtentem Naturæ ſtatum reſpiciat ac dirigat, neceſſe eſt. Status autem modernus non purè & nudè naturalis, ſed adventitio etiam veſtitus, ſicut magnam partem in externis verſatur, externíſque pluribus impedimentis abundat, ità & externis adminiculis indigebat ſibi optimè congruentibus, iíſque convenientiſſimè fuerat adjuvandus.

XXI. Dolenda tamen magìs eorum eſt infelicitas, dum non advertunt, quantis ſeſe exponant errorum periculis, ubi infidam adeò Ducem, imbellem rationem ſolam ſibi judicem controverſiarum ejusmodi circa agenda conſtituunt: Voluntatem propriam, rectiùs di-

xero; nam cùm diverſa diverſi principia ſtatuant, ex iisque differentes concluſiones inferant, quilibet pro ſuæ rationis modulo Jus cerebrinum ſibi conſtituet, & & pro ſua lubidine ſibi agendorum Interpres erit; itáque, quòd libet, licebit, non cogitando interim, quod omnes experiuntur, inordinatos concupiſcentiæ motus objecta exhibere aliter, quàm ſint; amorem proprium, timorem diſplicendi, complacendi ſtudium ità pervertere judicium, ut ipſa illa principia rationis ſæpiſſimè ad pravas & ſiniſtras, imò ipſi rationi adverſas concluſiones applicet. Indignum ſanè exiſtimatur Majeſtate Legislatorum civilium legúmque reverentiâ & ſanctitate, ſi, quamvìs non ſine ratione conditæ ſint, inquirere tamen in earundem rationes omnibus permitteretur, atque earundem obligatio in arbitrium cujusque committeretur: nec minori ergò Legis moralis injuriâ aſſereretur Libertas, quidquid ratione privatâ ſtatim non comprehenditur, reſpuendi, mutandi, reformandi. Laxis & unà ingenio pollentibus, præſidente ſibi Philautiâ, facilè aperitur via ſe omnium Legum poteſtati ſubtrahendi, cùm, illiciis ad contraveniendum Legi aliunde ſuppetentibus, facile videatur tot rationes invenire contra obligationem facientes, quot pro illa: atque nihil introductâ ſemel illâ ſentiendi libertate tam ſanctum, tam inviolabile foret, quod non convellere auderet hominum nova conſectantium profana libido. Quæ incertitudo, indéque orta opinionum confuſio demùm in ipſam Reipublicæ quoque Politicæ ac Societatis humanæ, quacum arctiſſimè agendorum ratio connectitur, everſionem atque ruinam non poterit non cedere.

XXII. Nec tamen inde ulla Juris ipſius Naturalis colligenda eſt incertitudo: cùm non ad ipſas Naturæ Leges, ſed ad modum eas accuratiùs, pleniùs, ſecuriúsque cognoſcendi & interpretandi tota hæc pertineat diſſertatio, quâ ſcilicèt revelationis Divinæ principia ſtatuuntur, quæ nobis his in rebus certitudinem generent, & errorem omnem certiſſimè excludant. Imò & his abutitur eadem infirma Ratio. Quàmvis enim ex eadem revelatione Divina æquè certa nobis ſint principia Moralis doctrinæ, ac ipſa etiam principia Geometriæ & Matheſeos, non tamen æquè ſunt evidentia; & applicatio in utrisque non æquè eſt facilis ac prompta. Et cùm nemo ſuâ intereſſe exiſtimet, an lineam rectam curvam dicat, aut angulum obtuſum diminuat; magnum econtra emolumentum ex ſuo circa doctrinam moralem judicio haurire ſe exiſtimant, quicunque vel ſuis vel alienis paſſionibus & cupiditatibus blandiri cupiunt, aut novitati vanæque gloriæ ſtudent. Experientiam ſi conſulimus, innumeros etiam Chriſtianos Doctores, imò Catholicos, nobis exhibet, qui, vocatâ licèt in ſubſidium Sacrâ Scripturâ, circa moralem hanc doctrinam maximè hallucinati fuêre, dùm ſuo nimiùm judicio præfidentes arbitrariis ſuis diſtinctionibus & ſubtilitatibus Scholaſticis, ac vel ſolo Topicismo aut regno illo, ùt ajunt, opinionum invecto eandem in utramque quaſi partem verſare & rotare auſi ſunt. Hos emendare & corrigere alii, præſertim etiam Proteſtantes, conati ſunt labore ſæpiùs non vano: ſed & ipſi cùm non aliam ducem, niſi cœcutientem rationem ſequi dignati fuerint, in eadem quoque errorum avia proruerunt, ut nemo pro-

inde nec ſibi, nec aliorum hominum fallaci & dubiæ fidei tutò fidere poſſit. Non eâ firmitate & ſecuritate hìc pedem figet intellectus veri & juſti avidus, ut omnis prorſus tollatur errandi ſuſpicio, quouſque nec de aliis certus eſt, ità puras & abſtractas ab omni ſiniſtro affectu ideas foveri, ut ſe in transverſum agi, & in devia abripi vel cœcitate & ignorantiâ, vel malitiâ non permiſerit.

XXIII. Reſtat igitur, ut hìc quoque alium, præter infirmam rationem humanam, Judicem admittamus controverſiarum iſtarum, quarum deciſio adeò neceſſaria eſt. Et quem alium, niſi ipſammet Eccleſiam? Huic enim velut cuſtodi & depoſitariæ doctrinam ſuam concredidit Chriſtus: huic paſcendi gregem ſuum ſalutaris eruditionis pabulo authoritatem ſupremam reliquit, huic negotium omne ſalutis commiſit, hanc audiendam ab omnibus voluit. Unde cùm Lex illa moralis prorſus reddita ſit Divina, & Sacræ Scripturæ inſerta, per Apoſtolorum prædicationes tradita, & â Succeſſoribus eorum Epiſcopis propagata, cùm ad operandam ſalutem noſtram æternam per gratiam Chriſti ordinata ſit, & ſublimata, ſicut in aliis quæſtionibus ſalutem noſtram æternam concernentibus Eccleſia eſt infallibilis, ità & in his Juris Naturæ controverſiis una eſt Magiſtra ab omni errandi periculo & ſuſpicione immunis.

XXIV. Auctoritatis ſanè neceſſitatem vel ipſa ſana ratio etiam Philoſophos docuit, Platonem ſcilicet, ac

Ari-

Ariſtotelem. Plato quidem in Theæteto ait: „Abun-„dè â nobis adverſus tuum Præceptorem dictum eſt, „quòd neceſſariò fatendum illi ſit, alium alio ſapienti-„orem eſſe, & illum quidem ſapientem hominem re-rum (ſcilicet agendarum, quia loquitur de juſto & lege) „eſſe menſuram: nihil autem neceſſe eſſe, me, „qui imperitus ſum, eſſe menſuram. Ariſtoteles verò *Lib.* 1. *Ethic. cap.* 8. ait: „Conſiderandum eſt igitur „de ſummo bono & fine, non ex concluſione ſolùm, „& ex iis, ex quibus eſt ipſa Ratio; ſed ex iis etiam, „*quæ de ipſo dicuntur.*„ His luculentiùs id agnovit pluribus in locis Sanctus Auguſtinus jam ſuprà lauda-tus: quorum illuſtriores quosdam huc referre vacat. Et Libro quidem de quantit. animæ. *Cap.* 7. *num.* 12. „Tales enim homines (inquit) quorum profectò maxi-„ma multitudo eſt, ſi ratione volunt verum compre-„hendere, *ſimilitudinibus rationum facillimè decipiuntur,* „*& in varias noxiásque* opiniones *ità labuntur,* ut emer-„gere inde ac liberari aut nunquam aut ægerrimè que-„ant. His ergò *tutiſſimum eſt, excellentiſſimæ auctori-„tati credere, & ſecundùm hoc agere vitam.* Si autem „cupiditatem hanc refrænare non potes, quâ tibi per-„ſuaſiſti, Ratione pervenire ad veritatem, multi & lon-„gi circuitus tibi tolerandi ſunt, ut non ratio te abdu-„cat; niſi ea, quæ ſola ratio dicenda eſt, id eſt, vera „ratio; & non ſolùm vera, ſed ità certa, & ab omni „ſimilitudine falſitatis aliena.„ Præterea ſocietati hu-manæ repugnare, & injurios eſſe, aſſerit eodem *Lib. num.* 73., qui auctoritatem exeſſe jubeant. Ibi. „Societa-„tem humanam magni pendere, nihilque velle alteri,

„quod ſibi nolit accidere : ſequi auctoritatem ac præ„cepta ſapientûm, ac per hæc loqui ſibi Deum credere.„ Authoritas itaque unum eſt ex principiis cognoſcendi Juris Naturæ, ac præcipuè quidem Divina, ſed & humana illa excellentiſſima, quæ Deo propior, quæ Divinitus participata, ejúsque Spiritu directa oſtenditur.

XXV. Inde eſt, quòd tantâ ſollicitudine & curâ in conſervandam hanc doctrinæ puritatem invigilârint antiquiſſimi Patres & Doctores Eccleſiæ Epiſcopi. Et quidem prima illis in converſione Infidelium adultorum cura fuit, ut mores eorundem ſalutaris doctrinæ inſtructione corrigerent ac reformarent, atque ità paſſionibus & præjudiciis ſuis evacuati, â vitiis abſtracti, ad percipiendam doctrinæ cœleſtis & fidei veritatem præpararentur. Intuitu fidelium verò non alia erat Sermonum Sacrorum materies, niſi fides ſimul & doctrina moralis, queis normam illis agendorum præſcriberent, eósque adverſus hæreſes ſuorum temporum, & ſuorum plerumque tantùm locorum corroborarent ac præmunirent. Hi naturales quaſi aut nativi erant Juris Naturalis â Chriſto Canonizati aut Evangelizati Profeſſores ; nec alias diſciplina illa tum cathedras habuit, niſi Epiſcopales, nec alias numeravit Scholas & Academias, niſi Eccleſias. Atque in ipſis eorum Scriptis, quæ ſuperſunt, de pluribus Juris Naturalis capitibus haud perfunctoriè ſermo inſtituitur. Clementem Alexandrinum, Gregorium Nyſſenum, Lanctantium, & Auguſtinum, Baſilium Magnum, Gregorium Nazianzenum,

Gre-

Gregorium Magnum, ipſumque Chryſoſtomum non tantùm Græcæ, ſed univerſæ Eccleſiæ ſummum decus evolvat, legat, ſcrutetur, cui dubium fortè, ambiguumque videtur id, quod hoc loco aſſeritur. Hos ingenio acri, judicio ſingulari, Juris illius quæſtiones, quoties eas attingerent, attigerunt autem ſæpiſſimè, expediiſſe conſtat; ut ipſemet Hugo Grotius tum demum pondus robur & lucem inſignem aſſertis ſuis ſe conciliare poſſe, ſi Præſulum horum authoritate ſuam ſententiam muniret, fuerit opinatus. Inter reliquos Ambroſius, qui planè ad Tullii exemplum tres de officiis Libros compoſuit, quantâ ſolertiâ in hac doctrinæ parte fuerit verſatus, nemo ignorat. Et in ipſis ignorantiæ ſæculis quantùm puritas hujus doctrinæ ſervata fuerit, Bernardum teſtem locupletiſſimum quisque inveniet in ſuis de conſideratione ad Eugenium Papam libris.

XXVI. Sanctis Patribus acceſſerunt & Concilia ſingulorum ferè ſæculorum, quorum Canones benè multi, id ſolummodo ſtatuunt, quod Jus ipſum Naturale ſtatuit, aut vetant, quod ipſum prohibet, illud explanant ac interpretantur, ubi dubium eſt, vel particularibus caſibus applicant: Cujus generis ſunt Canones plerique, quibus incontinentiam, avaritiam, ambitionem, Simoniam, dominatum, faſtum, aliáque ſimilia vitia, præcipuè Miniſtrorum ſuorum, Eccleſia proſcribit: de his proptereà eadem formanda eſt idea, quæ & de Jure Naturali; atque ideò utut non ſemper ſervari ſoliti, nullâ tamen præſcriptione, conſuetudine, aut Lege humanâ contrariâ abrogabiles, ſed immobiles, omni-

omninò, ſicut & ipſum Jus Naturale, ex quo velut principio ſuo fontali originantur, indéque velut concluſiones particulares derivantur, meritò cenſentur.

XXVII. Errores quàmplurimi, fateor, & ſuprà jam prælibavi, pedetentim vitio, ignorantiâ, perverſitate hominum, neglecto Sacrorum Canonum ſtudio â morum ſcientia inſeparabili, & contemptis Sanctorum Patrum ſcitis, per Doctores non paucos auribus prurientes invecti ſunt; qui â ſancta Evangelii ſeveritate receſſerunt, peccatorum inclinationes palpando, & cupiditatíbus blandiendo, ubi præſertim de doctrina ex ingenti numero Doctorum, non de Doctoribus ex doctrina judicari cœptum eſt. Non minùs è converſo alii, ſuperſtitioſo & Phariſaico rigore utentes, in aliud extremum declinârunt, ac onera inſupportabilia ad injiciendos conſcientiis laqueos & ad deſperationem uſque impoſuerunt. Sed utrorumque conatus, artes, & machinæ ad nihilum continuò reciderunt, dum damnatis ad natalitias tenebras eorum libris diverſi Eccleſiarum Epiſcopi & Summi Pontifices Chriſtianæ moralis puritatem ſartam tectam ſemper ſervârunt; atque ità praxi conſtanti & traditione perpetuâ hanc ſuam authoritatem comprobavit Eccleſia, dum iis damnationibus controverſias plurimas circa Legem Naturalem, puta, an ſimplex fornicatio Juri Naturæ repugnet, an uſura, an duellum ad conſervandam famam, an mendacium, falſiloquium &c. ſint licita, ſupremo ſuo judicio terminavit.

XXVIII.

XXVIII. Habemus hìc demùm rurſus, ubi etiam in practicis pedem firmum figamus: Habemus fundamentum, cui innitamur, Divinam ſcilicet Revelationem, & Eccleſiæ authoritatem divinitus participatam. Absque hâc nonnulli gentiles olim, multa quidem in Jure Naturæ perviderunt, non tamen integrum in tota ſua latitudine, nec absque omni erroris periculo, ùt ipſimet advertêre, non aliam ob cauſam, quàm quòd revelatione Divinâ, quam ſuſpirabant, carerent. Parata autem eſt & ipſis revelata illa divinitùs Religio hanc doctrinam tradens, & facilè præviâ etiam ſolâ ratione dignoſcibilis, ex qua in ipſam quoque certiſſimam doctrinæ hujus moralis notitiam faciliùs deducentur. Interim quousque iis ipſamet Religionis Chriſtianæ divinitus revelatæ ignorantia invincibilis eſt; eòuſque pariter eorundem circa particularia Juris Naturæ præcepta præſertim remotiora error omni culpâ & reatu vacabit. Cœterùm ſufficit, quòd nullam gentem, quæ quidem ſenſu communi gaudeat, nec prorſus obbrutuerit, reperire unquam ſit, quæ doctrinas morales in Sacra Scriptura contentas & Eccleſiæ judicio declaratas, ſi illis exponerentur, (proùt ex his ſolis principiis tutò & absque omni erroris periculo exponi â Magiſtris ac Miſſionariis poſſunt) non agnoſcat naturaliter juſtas: ac in ipſis illis, quas adverſus ſerpentes illas laxitates memoratas æquè, ac immodicum rigorem Summi Pontifices & Concilia vulgârunt, cenſuris ſplendentem doctrinæ vigorem, & cum rectâ ratione conſenſum non poterunt non mirari etiam iſtæ gentes, quæ ſolius rationis, utut infirmæ & inſtabilis, ductum ſequi ſe jactant. Sive igi-

tur agnoſcant Gentiles eas veritates inſuper ùt revelatas, ſive ùt naturales tantùm, ſerviunt Juri Naturæ. Nam ùt revelatæ ſerviunt Chriſtianis ſaltem populis, apud quos revelatio agnita immensùm debet prævalere judicio labili infirmæ rationis: Ut verò naturaliter juſtæ ſerviunt omnibus etiam gentibus, queis ſatìs exponuntur; ſervituræ iisdem etiam tanquam revelatæ, ſi revelatio ipſis prædicata, aut quomodocunque ſatìs agnita fuerit.

XXIX. Neque enim hæc omnia eò intellecta ſunto, ut omnem prorſus Rationem excludamus. Nec extincta illa prorſus eſt, cœca, aut deleta, ſed obſcurata aut ſauciata: atque inde quamvìs non omninò tutiſſima ſit, nec tamen omninò excluditur. In ſubſidium duntaxat vocanda eſſe principia revelata & authoritatem Eccleſiæ ad certitudinem obtinendam evictum fuit; De Scriptura Sacra & ipſi inter Proteſtantes non inferioris ſubſellii Doctores fatentur, ac præ reliquis Gundlingius *Cap.* I. *ad* §. 29. *&* *ſeq.* ubi & provocat Leibnitium. Ibi. „Leibnitius quoque Scripturam „ſpectavit; *quia nec poteſt aliter fieri*: Si Chriſti„anus factus ſum, eóſque non fero, qui Chriſtianismum „contemnunt; ùt quid ſepono revelationem, aliâque viâ „incedo? *Multò etiam meliùs* in res penetramus, ſi in „auxilium Scripturam advocamus.„ Nec alia Sancto Auguſtino *Lib. II. de Ordine Cap. VIII. et IX.* ſedit ſententia, ubi rationem cum auctoritate conjunctam & conſpirantem, viam Jus Naturale addiſcendi docet. Ibid. „Itaque quanquam bonorum auctoritas imperitæ multi-

„tudi-

„tudini videatur eſſe ſalubrior, Ratio verò aptior erudi-
„tis; tamen quia nullus hominum niſi ex imperito peri-
„tus fit; nullus autem imperitus novit, qualem ſe de-
„beat præbere docentibus, & quali vitâ eſſe docilis poſ-
„ſit, ut omnibus bona magna & occulta diſcere cupien-
„tibus non aperiat, niſi auctoritas januam; quam quis-
„que ingreſſus *ſine ulla dubitatione* vitæ optimæ præce-
„pta ſectatur. Per quæ cùm docilis factus fuerit, tum
„demum diſcet, & quanta ratione prædita ſint ea ipſa,
„quæ ſecutus eſt ante rationem; & quid ſit ipſa ratio,
„quam poſt auctoritatis incunabula firmus & idoneus
„jam ſequitur &c.

XXX. Ex quibus omnibus in aprico eſt, quorſum denique colliment, qui ſuum tantùm ingenium, & rationis obſcuræ lucem ſequi amant in explicandis Juris Naturalis, ſive quod idem eſt, doctrinæ Chriſtianæ moralis præceptis: ut ſcilicet ſicut liberas ſibi fidei ideas & fidem temporum fabricant, ac Judicem omnem, & Imperium in credendis reſpuunt; ità etiam in tradenda morali Chriſtiana autonomiam, & exlegem quandam independentiam affectant, idque ſolum agunt, ut ſub genuini Politicismi fuco Libertinismum, & conſcientiæ in agendis æquè, ac credendis libertatem incautæ juventuti inſtillent, imò & genti Doctorum improvidæ perſuadeant. Videant verò ii, quibus publicum præſertim docendi munus concreditum eſt, ne illorum cœcorum ductu ſuis opinionibus nimis præfidentes evaneſcant & ipſi in cogitationibus ſuis, & ſtulto demùm, vel certè ſuperfluo labore ſuo eam ſibi pœnam mer-

centur, ut deſertâ veritatum omnium ad negotium ſalutis pertinentium Magiſtrâ Eccleſiâ, ſuis relinquantur concupiſcentiis & cum Sapientibus hujus ſæculi in reprobum demum ſenſum dentur.

CAPUT XI.

Vaga Conſcientiæ Libertas ſalutarium pœnarum, utì & præmiorum, frœno juſtè continetur.

SUMMARIA.

I. *Hæreſis, ſive diſſenſus â judicio Eccleſiæ publico non tantùm error intellectûs,*

II. *Sed & vitium voluntatis eſt, imò verum crimen Eccleſiaſticum.*

III. *Cujus vindicta Eccleſiæ velut Reipublicæ Sacræ ex iisdem principiis absque Tyrannidis nota eſt aſſerenda,*

IV. *Utpote ob hominum in errores & mala propenſionem & contumaciam neceſſaria;*

V. *In charitate tamen Paſtorali, & juſtitia exercenda, ad ſalutem tum errantium, tum totius Corporis Eccleſiæ.*

VI. *Nec ultra limites juriſdictionis Eccleſiæ in Infideles ei non ſubjectos, ſed in ſolos Hæreticos extenditur.*

VII. *Nec Hæreſin purè mentalem, nullatenus exteriùs erumpentem, afficit.*

VIII. *Ac pœnis ſpiritualibus ex inſtitutione Chriſti ſeſe exerit.*

IX. *Temporalibus pœnis poteſtas vindicativa Eccleſiæ in Hæreticos â Regibus & Principibus fulcitur.*

X. *Quæ ex duplici, quod gerunt, officio derivantur.*

XI. *Pœnarum moderatarum uſum cum charitate conjunctum Regum antiquiſſimorum exempla â Patribus Auguſtino antiquioribus, & ab hoc ipſo laudata probant.*

XII. *Nec tamen ſolas adhibuerunt, ſed cum inſtructione & doctrina conjunxerunt.*

XIII. *Per quod differunt â Tyrannide Mahometanorum, & antiquorum Hæreticorum in Catholicos, quæ Atheismum inſuper fovet;*

XIV. *Cujus perperam accuſantur Catholici Principes ex ſuperiùs probatis Religionis Catholicæ principiis.*

XV. *Nec charitas â pœnarum uſu eſt aliena.*

XVI. & XVII. *Utì ſuadet earundem utilitas exemplis pluribus confirmata, cui non obſtat hypocriſeos periculum.*

XVIII. *Unde nec charitati, nec juſtitiæ repugnat.*

XIX. *Moderatio tamen in his ſervanda; neque de fide eſt, pœnalem, præſertim per pœnam mortis, Hæreticorum coactionem Principibus eſſe præceptam.*

XX. *Cùm pœnam mortis Ss. Patres, præſertim S. Auguſtinus, ſemper diſſuaſerint, ac deprecati fuerint.*

XXI. *Differentia inter Hæreticos facienda: quos inter ſeditioſi, & pacis turbatores meritò enecantur.*

XXII. *His proximè accedere videntur Hæreſiarchæ, aut diſſeminantes novam doctrinam contra Leges, ac præſertim cum impetu, quamvìs ea in ſe ſeditionis expers exiſtat.*

XXIII. *Diſtinguendi etiam ſunt dociles â pertinacibus, & inter pertinaces ab educatis in Hæreſi Apoſtatæ.*

XXIV. *Etiam in pertinaces & Apoſtatas merè errantes non videtur decernendum mortis ſupplicium.*

XXV. *Eccleſia ſemper & horum horruit ſanguinem, in ipſa quoque Officii Inquiſitionis inſtitutione.*

XXVI. *Cujus tamen praxis hodierna plurium Doctorum oculos animóſque offendit.*

XXVII. *Quid de hoc ſit ſentiendum, ſtatuitur.*

XXVIII. *Diſciplina exterior non ubique eadem eſt, & multùm ex ſtatu Reipublicæ civilis pendet.*

XXIX. *Inquiſitio ex ſpecialibus cauſis recepta in Hiſpania & Luſitania.*

XXX. *Sed ubi mortis pœna infligitur, Jure Regio proceditur, cujus multa inveniuntur veſtigia.*

XXXI. *In Italia quoque, mitior tamen, recepta fuit, ſed nec absque ingenti difficultate.*

XXXII. *Non receptio Inquiſitionis in aliis terris ſuis quoque rationibus non deſtituitur;*

XXXIII. *Ex quibus in Gallia & Germania exulat.*

XXXIV. *Concluſio oſtendit, quatenus libertas conſcientiæ permitti Jure fori poſſit.*

XXXV. *Leniora media ſeverioribus præferenda, inter quæ præmiorum ſpes juſtè adhibetur.*

QUandoquidem Auctoritas veræ Chriſti Eccleſiæ cum inerrantiæ dono divinitus conceſſa, & hactenus luculenter aſſerta talis ac tanta eſt, ut fideles omnes ex publico illius ſolius judicio, de Divinâ dogmatum Religionis tam credendorum, quàm agendorum revelatione plenam certitudinem conſequi poſſint; atque eodem ſemel interpoſito & ſatìs comperto non tantùm externam reverentiam & obedientiam exhibere, ſed & internos mentis conceptus ex effato Chriſti Domini conformare teneantur; ulteriùs inde conficitur, eum certiſſimè errare, qui ab hoc judicio utpote veriſſimo diſſentit, cùm neceſſariò id omne falſum ac erroneum exiſtat, quod directè vero opponitur.

II. Error autem iſte intellectûs quidem vitium eſt; ſed â corruptâ etiam voluntate tum procedit, ſi ſciens, & animadvertens, ſuam opinionem judicio illius Eccleſiæ (quam ex ſignis & characteribus moraliter certis veram & â Chriſto inſtitutam cognoſcit) adverſari, hanc

hanc tamen, neglectâ, imò contemptâ illius authoritate, pertinaciter tueatur, ſuumque privatum, ejusdem ſenſui animosè præferat. Is enimverò non tantùm in Sanctiſſimam Chriſti legem peccat, verùm, etiam cùm auctoritatem & infallibilitatem Eccleſiæ ità divinitus authoratæ inficiando ac negando, ipſum ejusdem, nec non fidei Chriſtianæ fundamentum ſubruat, labefactet atque evertat, graviſſimè in Statum illius veluti Reipublicæ ſacræ â Chriſto conſtitutæ publicum delinquit.

III. Unde ſi quælibet Respublica præmiis & pœnis, velut duplici fræno contineri & regi debeat; etiam Eccleſiæ, tanquam Reipublicæ Sacræ, hujus delicti ipſis Statûs ſui fundamentis tam adverſi vindicta nequaquam eſt deneganda. Atque ſicut ex præſtructis ſuperiùs principiis atque præmiſſis ſponte ſuâ profluere oſtenſum fuit, craſſum dominatum & Tyrannidem ab Eccleſia divinitus authorata & infallibili Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ munita nequaquam in conſcientias hominum exerceri, ubi ſuis judiciis publicis certiſſimè veris tum aſſenſum internum, tum externam profeſſionem adjungi, per modum legis & in vim veluti rei judicatæ præcipit; ità & neceſſariò inde ſequitur, nec magis Tyrannidem eſſe, horum judiciorum executionem modis quibuscunque, etiam pœnarum terrore ac rigore moderato urgere; ne alioquin ipſa illa Authoritas divinitùs Eccleſiæ conceſſa in vanum recidat, ac prorſus evacuetur.

IV. Quàm enim expetita ſit ab hominibus ingeniorum Libertas & opinandi licentia, quantùm ſuperba Mortalium ratio atque natura cùm in agendo, tum in ſentiendo alienum imperium detrectet, ſuum tantummodo amet, quis neſcit? cùm nullum libentiùs, quàm eorum cantum audiamus, qui in Libertatem agendi atque opinandi, quod volumus, mentem noſtram ſe vindicaturos eſſe, pollicentur. Innatus hic Libertatis amor facit, ut pauciſſimi Spiritu Dei agi ſe patiantur, & in ſimplicitate, humilitate, rectáque fide verbo Dei legitimâ auctoritate declarato, & veritatis Cœleſtíſque doctrinæ unitati adhærere, ſuúmque intellectum captivare velint, ſed Schismata & hæreſes eſſe oporteat. Unde quemadmodum in Societate civili Legislator & Judex debet habere authoritatem coactivam, ne irritum ſit ejus judicium, & vana legis obligatio, maximè adversùs eos, qui non amore juſtitiæ, virtutis, & veritatis, ſed metu pœnæ â malo, vitio, injuria, & errore retrahuntur; ità & in Eccleſia, quæ eſt Societas â Chriſto ritè ordinata, & in qua poſuit Spiritus Sanctus Epiſcopos, regere eandem, hos velut Superiores idem Chriſtus eâ authoritate inſtructos eſſe voluit, quæ neceſſaria eſt, ut ipſorum judicatis ac decretis obedientia & obſequium habeatur, unitas conſervetur, hæreſes & ſchismata cohibeantur, & contumaces compeſcantur.

V. Verùm cùm Chriſtus nolit mortem peccatoris, ſed ut magìs convertatur & vivat; Imperium equidem & poteſtatem coactivam Apoſtolis & eorum Succeſſoribus Epiſcopis conceſſit; nihilominus juſtitiâ ſimul ac

D d paſto-

paſtorali Charitate eandem ità temperatam voluit, quatenùs non eſſet tyrannicus Dominatus gentium ad perdendum & occidendum, ſed ad caſtigandum, emendandum, ſanandum & ſâlvandum, ut proin rectè hanc poteſtatem S. Auguſtinus *contra Epiſt. Parmeniani* appellet terribilem lenitatem, & Charitatem ſive miſericordiam ſeveram. Nimirum cùm ex charitate ſola Eccleſiæ nihil proficiunt ſubditi judiciis ejusdem reluctantes, ſed magìs contumaces & rebelles evadunt; debet illa recurrere ad ſuam Authoritatem, vel ad hos contumaces humiliandos, vel ad illos, qui propriæ ſalutis curam gerere, & oculos in veritatis lucem intendere nolunt, eo in ſtatu ponendos, ut non poſſint ſalutem aliorum impedire, purgando ſcilicet Eccleſiam, & per publicam externámque reſciſſionem criminoſi â corpore Eccleſiæ præcavendo, ne reliqua ejusdem membra ex contagio & infectione iſtius membri inficiantur juxta illud Apoſtoli: *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, et, quod experientiâ notiſſimum eſt, una ovis morbida totum gregem inficiat.

VI. Hujus quoque poteſtatis ſcopus ſatìs edocet, nihil eandem Eccleſiam juris ſibi tribuere in gentiles, Mahometanos & Judæos, utpote ipſi necdum ſubjectos & forìs exiſtentes, niſi ſuadendi atque hortandi, ut relictâ tenebrarum & errorum regione ad veram Religionis lucem aſſurgant. Jus eſt ipſi in ſolos Hæreticos, quos nempe â ſua ditione non ideò ſolutos credit, quòd ipſi ab ejus communione ſeſe exemerint, ab eáque diſceſſerint, ſicut & in transfugis militibus Regius character

etiam-

etiamnum perdurat, & poſſeſſione ac jure ſervorum atque filiorum, quòd â ſe fugerint, nequaquàm ſpoliantur Domini atque parentes.

VII. Quòd quidem jus atque poteſtas quamvis in internum etiam conſcientiæ forum penetret, in eos tamen exerceri non ſolet, qui opinionem quandam judicio illi publico Eccleſiæ divinitùs authoratæ adverſam interiùs in animo tenent, Hæretici purè mentales inde dicti, ſed in eos duntaxat, qui voluntariè errantes exteriùs doctrinam ejusmodi cum pertinacia profitentur atque defendunt. Quanquam enim fidelis quiscunque etiam internos mentis conceptus definitis ab Eccleſia dogmatis conformare teneatur, atque Hæreſis mentalis id omne ac totum habeat, quod ad malitiam ejus delicti deſideratur; â pœnis tamen Eccleſiaſticis, ejúsque poteſtate coactiva eximitur, ac ſolius Dei vindictæ relinquitur, cujus ſolius, velut Scrutatoris renum & cordium, reſervatum eſt internas hominum cogitationes utì cognoſcere, ità & punire. Eccleſia autem de internis, quæ intra mentem latitant, & in ſolo conceptu ſiſtunt, non cognoſcit aut judicat, nec, quia ignorantur, pœnam præviâ duntaxat cognitione infligendam imponit, ſicut & aliàs nemo cogitationis pœnam ſuſtinere cogitur, nec cogitationibus ſcandalum, vindictâ publicâ reſarciendum, præbetur.

VIII. Porro ſicut tota hæc poteſtas merè ſpiritualis eſt, ità & ſpiritualibus nonniſi armis & pœnis, quæ ſolæ ex Jure Divino ad Eccleſiam gladio materiali deſtitu-

tam pertinent, ac bonis ab ejusdem diſpenſatione pendentibus privant, exercetur. Nec enim alium, quàm ſpiritualem gladium in Eccleſia Chriſti agnovit S. Cyprianus *Epiſt.* 62. ubi vindicativam hujus poteſtatem ex Jure Sacerdotali Moſaico repetit, ejúsque differentiam aſſignat, inquiens: „Interfici Deus juſſit Sacerdotibus ſuis, Judi-„cibus â ſe ad tempus conſtitutis, non obtemperantes; „ſed tum quidem gladio occidebantur, quando adhuc „& circumciſio carnalis manebat. Nunc autem, quia „circumciſio ſpiritualis eſſe apud fideles Dei ſervos cœ-„pit, ſpirituali gladio ſuperbi & contumaces necantur, „dum de Eccleſia ejiciuntur; neque enim vivere forìs „poſſunt, cum Domus Dei una ſit, & nemo ſalvus eſſe, „niſi in Eccleſia poſſit.

IX. At verò pœnæ ejusmodi ſpirituales plerumque parùm formidari ſolent per ſe ipſas, niſi & temporalibus, ſenſus externos magìs afficientibus, adjunctis fulciantur, augeantur & reddantur formidabiliores. Cùm enim pœnæ illæ reverâ pœnæ non ſint, niſi iis, qui easdem formidant: tota econtra earum formido in ſola fide & humili Authoritatis Eccleſiæ reverentia fundetur, adeoque facillimè contemnantur ab iis, qui ſemel in errore obfirmati ipſam Eccleſiæ authoritatem aſpernantur, ac funditus, tuendo errores ſuos contra ejusdem judicium, evertunt; meritò & temporales, jactura videlicet bonorum, famæ, libertatis, & ſubin vitæ adjunguntur, quas naturali omnes inſtinctu reſpuunt, timent ac perhorreſcunt. Et his, ſervatâ Juſtitiâ & charitate, ſollicitare devios aut alienos â fide, ne in errore diutiùs per-

ſtent,

ſtent, néve eidem immoriantur, ad Reges ſæculíque Principes ſpectat, quibus utì cura omnis temporalis Reipublicæ, ità & gladius temporalis concreditus fuit, teſte Apoſtolo, in vindictam malorum.

X. Qua in re duplici funguntur munere: Protectionis videlicet ac tutelæ Eccleſiæ, tum politici ſui, quod in Republica profana ſummum eſt, Imperii. Quod utrumque arctè adeò ſibi cohæret, ut alterum ab altero in Principibus Chriſtianis ſeparari haud poſſit. Nec enim ſola illis temporalis Reipublicæ tranquillitas & quies, ſed & veræ Eccleſiæ ſalus, arcendæ impietatis, ac Religionis, quæ divina & certa probari poteſt, tuendæ ac propagandæ cura cum civili animorum concordia propinquè admodùm conjuncta, Deo glorioſa, & populis ſubjectis utilis, illis velut Defenſoribus atque Advocatis non â plebe tantùm, ſed â Deo ipſo demandata fuit, imò eandem velut â natura ſummæ poteſtati inſitam eſſe, uſque adeò verum eſt, ut vix ulla oſtendi poſſit Respublica, quæ contra impietatem & contra violatores ſuæ Religionis leges aliquas non condiderit, quanquàm illa ſæpè Religio falſa ac ſacrilega fuerit. Præcipuè verò inter Chriſtianos Regiæ Majeſtati id muneris adgnatum eſſe, poſt Apoſtolum 1. *Timoth.* 2. non dubitavit S. Leo Pontifex Leoni Imperatori memoratu digniſſimâ inculcare ſententiâ *Epiſt.* 81. Ibi. „Debes incunctanter advertere, Regiam poteſtatem tibi non „ſolùm ad mundi Regimen, ſed etiam maximè ad Eccle„ſiæ præſidium eſſe collatam; ut auſus nefarios compri„mendo, & quæ bene ſunt ſtatuta, defendas, & veram

„pacem iis, quæ ſunt turbata, reſtituas.„ Cujus defenſionis rationem *Epiſt.* 33. eam reddit, quòd res humanæ aliter tutæ eſſe non poſſint, niſi quæ ad divinam confeſſionem pertinent, & Regia, & ſacerdotalis defendat Authoritas. Quam eandem ob cauſam Imperatores ac Reges omnes uti nomine Magnos, ita geſtis maximos ad unitatem Eccleſiæ continendam, externam pacem tuendam, definitiones, ſententias, & leges exequendas politicum ſuum & temporalem gladium direxiſſe, teſtis eſt experientia; Quos inter eodem munere vix alius magìs gloriatus eſt, quàm Theodoſius in Epiſt. ad Synodum Epheſinam datâ, ejúsque Actis *Part.* 1. *cap.* 32. inſertâ: „Reipublicæ noſtræ, inquit, conſtitutio eâ, quæ „in Deum eſt, pietate præcipuè nititur, multáque inter „hanc & illam cognatio ac familiaritas intercedit. Nam „& ex ſe invicem pendent, & utraque proſperis alterius „ſucceſſibus incrementa ſumit: quandoquidem ùt vera „religio juſtâ actione perficitur, ità Reſpublica utriusque „ope nixa floreſcit. Cùm itaque Deus Imperii habenas „nobis tradiderit, iísque, qui Imperio noſtro parent, pie„tatis & ſecuritatis quoddam quaſi vinculum nos eſſe vo„luerit; harum inter ſe ſocietatem providentiæ & ho„minibus medios nos præbentes, indivulſam perpetuò „conſervare contendimus.

XI. His igitur omnem Hæreticorum coactionem pœnalem in ipſa quoque lege charitatis prohibitam non eſſe in tuendis Epiſcoporum & Conciliorum adversùs eos judiciis, antiquiſſimorum Imperatorum modò laudatorum leges & exempla ab ipſis quoque Epiſcopis &

San-

Sanctis Patribus purioris, ùt ajunt, Eccleſiæ probata ac deprædicata oſtendunt; Cùm ſtatim, ubi primùm Chriſtianæ fidei illi ſeſe ſubmiſerunt, & jam pridem ante Auguſtini ævum, adversùs Hæreticos & inimicos Eccleſiæ Chriſti legibus ſuis decertârint, hos exagitârint, mulctis variis & pœnis compeſcuerint Conſtantinus Magnus, Valentinianus ſenior, Gratianus & Theodoſius Magnus referente leges illas codice Theodoſiano æquè, ac Juſtinianæo, & teſtantibus Euſebio, Socrate, Sozomeno, Theodoreto, Hieronymo & aliis: Queis Auguſtorum edictis, zelo, & piæ aſperitati jamtum Epiſcopi laudes adjungebant; ut vel inde facilè conſtare poſſit S. Auguſtinum neque primum auctorem fuiſſe, neque primum laudatorem adhibitæ olim â Regibus in Hæreticos Ethnicósque ſubjectos ſeveritatis. Quid? quòd hic ipſe priùs in *Cap.* I. *Lib. contr. Epiſt. Manich.*, quem Sanctus hic Doctor conſcripſit circiter annum Chriſti CCCXCVII, manſuetudinem potiùs ſeveritati prætulit: edoctus tamen triſti experientiâ, quàm parùm ſolâ hac manſuetudine Hæreticorum plerumque pervicaciorum & magìs obduratorum ſaluti proſpiceretur, in aliam poſtea circa annum CCCCXII. ſententiam, æquè tamen piam, charitati Juſtitiæque conſonam, &ittereà Eccleſiæ, ipſíſque pertinacibus utiliorem, abiit, & meliori ſe conſilio abiiſſe ipſemet fatetur, eámque in *Epiſt.* 93. *ad Vincent.* multis rationibus eò coacervatis probat, meritò nimirùm rectéque adversùs Schismaticos Hæreticósque legum authoritatem, Principúmque gladios implorari poſſe, modò id fiat animo corrigendi, & ſanandi, non ſtudio vindicandi & perdendi, & in Spiritu charitatis Chriſti, qui non venit

nit perdere animas, ſed ſalvare, utì diſcipulis ſuis ignem è cœlo in Samaritanos poſcentibus inculcaverat.

XII. Ab hoc ſanè Spiritu nequaquam alienus eſt moderatus pœnarum ſalutarium rigor, qui in eos tantùm exercetur, qui nullâ manſuetudine, nullis rationibus ab errore ſe revocari paſſi ſunt; neque ſolus adhibetur, ſed doctrinæ, rationibus, inſtructionibus ad conciliandam ipſis majorem vim & efficaciam ſuperadditur, teſte Sancto Auguſtino: *Si terrerentur, & non docerentur, improba quaſi Dominatio videretur. Rurſus ſi docerentur, & non terrerentur, vetuſtate conſuetudinis obdurati ad capeſſendam viam ſalutis pigriùs moverentur.* Neque eo præcisè fine terror ille adjungitur, ut ipſa vera Religio, quam maximè voluntariam & liberam eſſe, neceſſe eſt, per vim & violentiam invitis inculcetur, ſed ut ſalutari hoc pœnarum metu excitati & ſepoſitâ tantiſper contumaciâ attentiores animos & aures afferant, teneántque magìs arrectas ad auſcultandum diligentiùs & perpendendum attentiùs inſtructiones, rationes & motiva, quibus convicti veram Religionem præ omnibus aliis evidenter credibilem intelligant, atque humiliter gratiam ac lumen cœleſte expoſcant, quo illuſtrante viam ſalutis unicam & agnitam veritatem amplectantur; Cùm certiſſimum ſit, fidem ità eſſe donum Dei, ut etiam actus liberæ ſit voluntatis.

XIII. Atque inde luce meridianâ clariùs ſeſe prudenti cuivis offeret ingens illa differentia inter vexationes & perſecutiones Gentilium, & Mahometanorum in Chri-

ſtianos

ſtianos & hodiernas Catholicorum in Hæreticos; & in aprico eſt, nonniſi temerè eosdem cum utrisque comparari hâc in re poſſe. Catholici enim Imperatores ſubditos & populos ſibi & Eccleſiæ ſubjectos foris domíque ſeverè conſtringunt; Sed patris, non Tyranni affectu, ſcientes quippe, cui crediderunt, captivando intellectum ſuum in obſequium fidei: cùm ante oculos omnium habeantur ſigna illa publica, queis utì Chriſtiana Religio inter non Chriſtianas, ità & inter Chriſtianas una ſola Catholica ab omnibus aliis ſe diſtinguit, & evidenter credibilem oſtendit: unde cùm ab hac unicè vera Eccleſia propriâ ſuâ pertinaciâ ſejuncti apertè iniqui ſint, meritò pœnas moderatas conſtituunt, ut iterum ad ovile Chriſti perditas oves revocent, neque priùs errantes per pœnas revocant, quàm rationibus, perſuaſionibus & adhortationibus erudierint, eísque errorem priſtinum manifeſtum fecerint. Mahometani econtrà in ſolo terrore & vi acinacis, ratione omni ſepoſitâ, ſine ullo dominationis legitimæ jure, ſine bona cauſa populos alienos in antiqua Religione ſtantes ad novam amplectendam cogunt, quam Catholicæ præferendam eſſe nemo liber & ingenio valens ſibi perſuadere poſſit; imò adeò rationem omnem â pœnarum terrore ſejungunt, ut vel hanc indagare ſacrilegii & capitalis criminis loco habeatur. Nec longiùs ab hac Tyrannide abfuerunt Hæretici conventus omnes, quotquot Imperatorum authoritate fulti & ipſi iniquis vexationibus in Catholicos ſævierunt, & non habendo ipſimet certitudinem ſuæ Religionis, ſubditos tamen aut metu pœnæ, aut fraude in eâ detinuerunt, aut ad eandem Religionem authoritate

merè fallibili compulerunt, dum conſtare ſibi non ſatìs poſſe ipſimet fateri coguntur, cuinam parti in controverſiis Religionis veritas adſit, aut magìs faveat. Ex quo enim quis è Catholica Eccleſia exceſſit, eámque viſibilem, ſanctam, errare neſciam, & Judicem controverſiarum negat; ille jam renuntiat principiis omnibus, quibus ſibi palàm fieri poſſit, ubinam certò veritas fidei regnet. Quodſi autem hoc manifeſtum nequaquam ſit, una Hæreticorum ſocietas in alteram utique Religionis causâ ſævire non poterit abſque ſumma iniquitate, dum neutra magìs præ altera veram & certam ſe oſtendere poteſt; & authoritas omnis pœnas illas infligens merè humana & fallibilis eſt, quam ubi ſequi coguntur ſubditi, non tantùm ſpecie libertatis ſub duriſſimo ſervitutis jugo deprimuntur, ſed ad Atheismum demum deducuntur, ut ſolam voluntatem imperantis normam agendorum, conculcatâ omni Religione, credant, & ſic cum Atheis omnem obligationem, per quam adſtringentur ad aliquid faciendum aut credendum in Religionis negotiis, ex lege civili ſeu juſſu Principum cenſere neceſſariò debeant.

XIV. Verùm neque iſta Atheismi imputatio in Religionem Catholicam, neque in Catholicos Imperatores quidquam convenit. Fallibilis & horum utique eſt authoritas ac errori obnoxia. Nemo enim & noſtrûm dicit, nos ſequi oportere ſummarum poteſtatum Religionem, quæcunque ſit; Nam Regibus terræ nunquam Deus pollicitus eſt, eos in veritate ſemper ſtaturos, neque eorum judicio dimiſit Religionis veræ cri-

terium. Nonniſi dependenter â Judicio Eccleſiæ, & dogmata ab hac tantùm probata, impenſâ extrinſecùs firmitate & cuſtodiâ corroborârunt, iis pertinaciter reluctantes pœnis temporalibus ſupponendo. Eccleſiam audiendam & ſequendam eſſe edixerunt tot notis & characteribus inſignem, ut nemo prudenter dubitare poſſit de Divina ejus origine: & hæc cùm Divinâ authoritate munita & Divino Spiritu edocta illas controverſias componat, non humana Principum, neque Præſulum voluntas, ſed Divina tantùm authoritas tanquam norma credendorum ab eisdem per pœnas ſalutares & leges Imperiales exponitur: uti apparet ex Epiſt. Conſtantini Magni ad Alexandrinam Eccleſiam apud Socratem *Lib. I. cap.* 9. ubi ait: „ Nam quod trecentis pla„cuit Epiſcopis, nihil aliud exiſtimandum eſt, quàm „*Dei ſententia*, præſertim cùm in tantorum virorum „mentibus inſidens Spiritus Sanctus *Divinam volunta„tem* aperuit: „ Et idem in alia Epiſtola citato loco generaliter hanc authoritatem legibus ſuis definitiones Epiſcoporum urgendi & pœnis adjectis animadvertendi in eos, qui ab illis recedere auſi fuerint, inde repetit, quòd quidquid in ſanctis Epiſcoporum Conciliis geritur, id omne ad *Divinam voluntatem* ſit referendum. Adeò ſcilicet ab Atheismo omni hoc Catholicorum Imperatorum imperium & rationabile fidelium obſequium longiſſimè abeſt; Atque ex his omnibus moderatarum pœnarum juſtitia luculenter pateſcit.

XV. Sed & charitatem cum his vexationibus conjunctam ſemper fuiſſe, atque ex mente ſpiritúque Ec-

cleſiæ eſſe debere, æquè facilè evincitur: quodſi enim Catholica Religio evidenter credibilis eſt, quid aliud conſequitur, niſi cœteras Chriſtianorum Sectas errare in propriæ ſuæ ſalutis perniciem, & ſic, quod eſt ad fidem, errantium loco eſſe habendas? Si omninò exceptis Catholicis cœteri homines in Religione â veritate, quam agnoſcunt, aut ſatìs patentem omnibus facilè agnoſcere poſſunt, recedant; ergò etiam in veritatem & in Deum peccant, ergò ſalutarium vexationum ope velut medicaminibus etiam amaris illos revocare â certiſſimo errore, & ab æternis pœnis, nonniſi charitatis Chriſtianæ conſilium laudabile fuerit. Ipſis enim errantibus expedit legum rigore ac terrore compeſci; atque ùt laudandæ ſunt leges, quæ nos impiè agere vetant, ita commendandæ, quæ impiè credere, ſentire, ac docere non ſinunt. Si rationes, ſi perſuaſiones, aliæque mitiores artes nihil proficiant, non iraſcendum Medico aſperis utenti remediis, ut ſanet; ſed ægrotorum pertinaciæ ſe aliter non permittentium ſanari, eſt ſuccenſendum.

XVI. Imò reapſe id conſilii in ſalutem talium errantium feliciſſimè ceſſiſſe frequentiùs, plurimorum exempla conteſtantur, qui rationibus ſolis & doctrinæ ſibi expoſitæ contumaciter diu reſtiterant, ſed ubi pœnarum terrore adacti animos & aures attentiores præbuerunt doctrinæ ſacræ & veritatis prædicationi, Eccleſiæ Catholicæ redditi pacatâ mente priſtinum ſuum errorem damnârunt. De civitate ſua Hipponenſi, quæ tota Donati erroribus & ſchiſmati addictiſſima fuerat,

id affirmat idem S. Auguſtinus *Epiſt.* 93. *cap.* 5., eam ad unitatem Catholicam timore legum Imperialium converſam fuiſſe, & ſchiſma ità ſeriò deteſtatam, ut eidem nunquam immixta fuiſſe crederetur. „Jam verò cùm „ipſæ leges (ait *Epiſt. ad Bonif. n.* 29.) veniſſent in A„fricam, præcipuè illi, qui quærebant occaſionem, aut „ſævitiam furentium metuebant, aut ſuos verecunda„bantur offendere, ad Eccleſiam continuò tranſierunt. „Multi enim, qui ſolâ illic â parentibus traditâ con„ſuetudine tenebantur, qualem verbo cauſam ipſa hæ„reſis haberet, nunquam antea cognoverant, nunquam „quærere & conſiderare voluerant, mox ubi cœpe„runt advertere, & nihil in ea dignum invenire, pro„pter quod tanta damna paterentur; ſine ulla difficul„tate Catholici facti ſunt. Docuit enim illos ſollicitu„do, quos negligentes ſecuritas fecerat. Iſtorum au„tem omnium præcedentium auctoritatem & perſuaſi„onem ſecuti ſunt multi, qui minùs idonei erant per „ſe ipſos intelligere, quid diſtaret inter Donatiſtarum „errorem & Catholicam veritatem.

XVII. De aliis quoque Hæreticis aliorum temporum, imò & poſteriorum ſæculorum experientia exempla quàm plurima oſtendit, quorum ex immenſo numero ad fidem & unionem Catholicam converſo cùm plures etiam grandioris ætatis & perſpicacioris ingenii, nec minoris eruditionis homines, imò & Paſtores multi fuerint, qui doctrinam Catholicam amplexi ſunt, & conſtanter, non rarò ad mortem uſque, tenuerunt; iniquum eſt credere, omnes ficto, non vero animo er-

 rores

rores ſuos ejurâſſe: Quin ex iis aliqui ſimulatum animum ad Eccleſiam Catholicam attulerint, negandum quidem non videtur; interim multos tamen juſtè præſumendum eſt, ex animo egiſſe, & apertiſſimè noviſse, quantùm â veritate antea abſuerint. Et quidquid ſit, etiamſi ad vexationes evitandas quisquam interdum ficto animo ad veram fidem convertatur; id quidem ejus pertinaciæ ipſas rationes & inſtructionem ſpernentis vitio aut infelicitate continget, non autem Catholicis culpæ vertendum, qui quantum in ipſis eſt, hominem illum veræ charitatis ductu & â primis erroribus & â gravi illa calamitate hypocriſeos liberum optant, & liberare contendunt. Sed neque penes hos ficto etiam animo revertentes ad Eccleſiam omni prorsùs utilitate pia illa ſeveritas caret; aut enim & ipſi ſucceſſu temporis, & aſpirante Divinâ gratiâ, cui tempora poſita ſunt nulla, fictionem ſuam remotis pedetentim obſtaculis, ac perſpectâ magìs doctrinæ veritate deponent, aut certè filii eorum & poſteri â teneris unguiculis in vera fide inſtructi eandem veriſſimè ſimul, ac firmiſſimè retinebunt, & propagabunt.

XVIII. Unde ex his omnibus id ſolum colligitur, tum modò locum habere poſſe illas aut injuſtitiæ, aut Tyrannidis & ſævitiei accuſationes, ſi nullâ prorsùs viâ veritas Religionis deprehendi poſſet, ſi manifeſtum ſatìs apertúmque non eſſet, neque eſſe poſſet, quænam è tot Chriſtianorum ſocietatibus veram doctrinam & fidem tueatur; ſi veræ Eccleſiæ Catholicæ non eſſent, (quæ certè illi ſunt, & apud nullam aliam ſocietatem ſunt) aperta veritatis ſigna; ſi denique rigor ſolus â

Catho-

Catholicis adhiberetur, non autem explicarentur & inculcarentur ejurandi erroris manifeſtæ rationes; imò ſi rigor ipſe licèt moderatus eò duntaxat reſpiceret, ut invitis doctrinam Catholicam ingereret, & non ideò potiùs adhiberetur, ut converteret animos pervicacium ad auſcultandam diligentiùs meliorem ſaniorémque doctrinam: His inquam poſitis juſtitiam & charitatem in vexationibus Hæreticorum meritò deſiderares: At cùm hæc omnia Eccleſiæ Catholicæ conveniant, juſtè per Reges & Principes ſuos veluti nativos protectores & Religionis legíſque Divinæ vindices, ſervatâ etiam charitate ut ut ſeverâ, eosdem adigit.

XIX. Eadem nihilominùs charitas moderationem hâc in re ſummis Principibus imperat ac manſuetudinem, quam ipſemet S. Auguſtinus, utut ab omni pœnarum rigore non omninò alienus, ubique præferendam ſuaſit; Neque nos in eo ſumus, ut Hæreticos omnes ab Eccleſia damnatos ipsâ etiam morte mulctandos ſtatuamus; multò minùs inter dogmata Religionis Catholicæ recenſemus hanc Hæreticorum per pœnas mortis coactionem, proùt quidam ex ſacroſancti Concilii Tridentini *Canone* 14. *Seſſion.* VII. perperàm inferunt, aut â Catholicis teneri dogmatis inſtar autumant. Cùm Canon ille quidem ſtatuat, cogi poſſe infantes baptizatos, ubi adoleverint, ad profeſſionem fidei Catholicæ; conſcientiis tamen Magiſtratuum non abſolutam imponat neceſſitatem, ex præſcripto Juris Divini ità agendi; minùs verò pœnam mortis infligendam, imò nec temporalem quamcunque determinet. Licita inter-

terdum eſſe & utilia tum ipſis errantibus, tum Eccleſiæ, imò ipſi Reipublicæ etiam duriora quædam ſupplicia quidem fatemur : ab ipſis tamen, quantum fieri poteſt, abſtinendum, & ſolicitè Principibus cavendum, ne aut juſtitia aut charitas in eorum uſu quidquam lædatur. Et in eo tantùm conſpirat ſenſus antiqorum & modernorum Epiſcoporum, quòd antiqui etiam Epiſcopi trium priorum ſæculorum pœnas Eccleſiaſticas, ſed medicinales ſive cenſuras in Hæreticos decreverint, nec damnârint prorsùs temporales, ſive ſalutares aliquas in negotio Religionis vexationes, ſed eas tantùm, quæ ab Ethnicis exercebantur contra veritatem & contra veritatis patronos in patrocinium patentiſſimæ impietatis & manifeſtiſſimi erroris : ſi verò & â perſecutione Hæreticorum, ſive, ut meliùs dicam, â ſalutaribus quibusdam remediis ac pœnis in ipſos experiendis abhorruerunt; non ideò id factum fuit, quòd illicita illa media cenſuiſſent, ſed quòd opportuna & utilia tum temporis, quod contingere interdum poteſt, minimè judicâſſent. Aureæ proinde ac decantatæ illi regulæ Tertulliani *Lib. de Virgin. veland.* locum & hìc dederunt: *Sola regula fidei immobilis eſt & irreformabilis ; hâc lege fidei manente, cætera diſciplinæ & converſationis recipiunt novitatem correctionis.*

XX. Quoad pœnam verò mortis tantùm abeſt, ut extremam hanc ſeveritatem in devios â fide Eccleſiæ Hæreticos traditio Sanctorum Patrum docuerit, aut ſuaſerit, ut ab ipſis potiùs functionibus ſacris excluſerit talia ſuadentes, aut aliquo pacto in judicium mortis influen-

fluentes ; quid? quòd legum Imperialium motu proprio latarum juſtitiam potiùs mitigare, quàm accendere ſtuduerint Epiſcopi, memores cum Sancto Leone *Epiſt.* 93, Eccleſiaſticam lenitatem ſacerdotali contentam judicio cruentas refugere ultiones. Probabant ii Hæreticorum coercitionem non ad vindictam, ſed ad emendationem & pœnitentiam. Digna profectò ſunt ſpiritu lenitatis ab Apoſtolo commendato S. Auguſtini & exempla & verba, præſertim *Epiſt.* 100. ad Donatum Proconſulem Africæ, ubi ipſum deprecatur, ne nimiùm in Hæreticos, Donatiſtas videlicet, utut flagitioſiſſimos & ſeditioſos quietis publicæ turbatores pro immanitate facinorum deſæviret : Ibi. „Neque enim vindictam „de inimicis in hac terra requirimus, aut verò ad eas „anguſtias animi nos debent coarctare, quæ patimur, „ut obliviſcamur, quid nobis præceperit, pro cujus „veritate ac nomine patimur. Diligimus inimicos no„ſtros, & oramus pro eis. Unde occaſione terribilium „judicum ac legum, ne in æterni Judicii pœnas inci„dant, corrigi eos cupimus, non necari; nec diſci„plinam circa eos negligi volumus, nec ſuppliciis, „quibus digni ſunt, exerceri. Sic igitur eorum pecca„ta compeſce, ut ſint, quos pœniteat peccâſſe.„ Adeò nimirùm Chriſti Sacerdotes ad ſe pertinere ſemper arbitrati ſunt condolere iis, qui ignorant & errant, mitiora conſilia eligere & præbere, atque obſtare, ne plus quàm deceat & expediat, aut æquum ſit, in hujusmodi hominum genus ſæviat ſæcularis poteſtas.

XXI. Moderatio itaque & æquitas diverſitatem Hæreticorum attendendam eſſe jubet. Sunt enim alii, quorum vel dogmata & errores, vel turbulenta indoles ipſius Societatis civilis Jura & quietem tranquillitatémque publicam turbant, & qui in varia ſeſe horrenda flagitia immergunt, aut velut belli tubæ tumultuantur, mutuâ conjuratione vim intentant, minantur, & inferunt. Atque in hos ſeveritate uti, pœnis etiam mortis animadvertere jure Regio poſſe ſummos Magiſtratus, ipſa illa ſuprema, quæ Divinitùs eisdem concredita eſt, Reipublicæ & tranquillitatis temporalis cura oſtendit. Ne ipſis quidem Catholicis Religionis cauſâ vexatis licet ſeditiones conflare, & â Principum legitimorum utut Hæreticorum, utì nec olim Gentilium, obſequio deſciſcere & politicas leges conculcare: quantò magìs exſcindendi ſunt ultore ferro, qui talia audent contra Dominos ſuos legitimos pro errore ac impietate tuenda? Nulla ſanè benè conſtituta Reſpublica, ſalvâ ſuâ ſecuritate, ferre poterit Manichæorum, Adamitarum, Fraticellorum, Quietiſtarum, aliarúmque hujusmodi peſtium ſordes, ſi vera ſint, quæ de iis feruntur. Jure evelluntur è quolibet Regno, imò & vitâ exturbantur opinionum illarum fautores atque præcones, quæ licentiam peccandi effrœnem facerent, quæ furibus, graſſatoribus, pyratis communionem bonorum in conſcientia credendam velut principium ſuæ pragmaticæ prætexerent, quæ polygamiam, inceſtus, adulteria aliásque impuritates Henrico-Nicolaiticæ fœminarum communionis prætextu inducerent. Et ex hoc potiſſimùm capite quasdam Hæreticorum Sectas, ùt Donatiſtarum

rum

rum, & Albigenſium, cædibus affectas & diſſipatas novimus ſine crudelitatis nota, ſine vituperio Principum & Judicum; Et in Anabaptiſtis Germania utut jam in diverſas Sectas diſciſſa approbavit. Dummodò meminerint Reges, non conficta crimina, non ſomniatas ſeditiones, non falsò imputatas conjurationes eſſe puniendas. Nam & notum perſpectùmque eſt, in primos etiam Chriſtianos, licèt innocentiſſimos, ſub prætextu horrendorum flagitiorum, Impietatis & Irreligionis, homicidii potiſſimùm, aut epularum Thyeſtearum, promiſcuæ libidinis, & ſeditionum crudeliſſimis ſuppliciis iniquiſſimè fuiſſe ſævitum. Id teſtatum nobis reliquerunt Juſtinus Martyr *in Apologia* 2., quæ nunc ab eruditis prima dicitur, & Athenagoras in *Legatione pro Chriſtianis.*

XXII. Aliorum verò Hæreticorum, qui meri propterea dicuntur, unum & ſolum vitium error intellectûs eſt & hæreſis, quâcum ſeditionem nullam conjungunt, ſed bonos alioquin cives ſe gerunt. Hos inter propiùs ſeditioſis accedunt, qui non errâſſe contenti, errorem quoque ſuum præſertim cum impetu & injuriis aliorum evulgant, literis conſignant, ac prædicatione perſuadent; ſiquidem ſaluti non tantùm plurimarum animarum, cujus etiam cura ad Principem Chriſtianum pertinet, inſidias moliuntur, imò vel cauſam, vel occaſionem ſaltem præbent multarum turbarum, quibus ipſa Reipublicæ tranquillitas detrimenti plurimum ſentit, & rimas contrahit: cùm vix fieri poſſit, ut inter homines Religionum debitâ reverentiâ flagran-

tes, qui mutuò vel pro ſuperſtitioſis vel pro Sacrilegis ſeſe habent & publicè traducunt, pax ſervetur. Inde odia, ſimultates, diſſenſiones atque contentiones, quæ quamvis contineri ad tempus poſſint, ſemper tamen veluti ſub cinere gliſcunt, & datâ occaſione proclivi in apertas etiam flammas erumpere ſolent, quas nulla Hiſtoria non refert, ipſáque experientia abundè teſtatur. Hi propтереà ſi ſemel emendati atque correcti in errorum ejuratorum divulgatione deprehendantur; nonne eam ſaltem cautelam ſalutarem filiis ſuis debet Eccleſia, ut eo ſaltem in ſtatu illos reponat, quo ſalutem aliorum impedire non poſſint? Imò etiam à Regibus & Magiſtratibus Eccleſiæ Tutoribus quid aſperi non mereatur perverſa horum voluntas, cujus utique opus eſt, & â quâ pendet errorum divulgatio; quas pœnas non referat conjuncta plerumque calumniandi antiquam Religionem libido legibus ipſis adverſa, & periculoſa contagio?

XXIII. Alii privatim tantùm errorem ſuum tenentes absque illius diſſeminatione vivunt extra ſuſpicionem tumultûs, ſuâ opinione contenti alios nec oppugnant, nec ſequuntur, â quibus nec poteſtas ſæcularis, nec ipſa Religio, aut ſalus aliorum concivium habet, quòd vereatur. Mitiùs hi ſemper habendi ſunt, quamvìs non ab omni culpa, ubi ſalutaribus monitis ac perſuaſionibus aures occludunt, vacui, nec ab omni prorsùs pœna ad ſolam ipſorum converſionem ordinata excuſandi. Nec enim perſtant obduratæ in veteri errore mentes, ſed in novos alios quotidie diffluunt, in hæreſes

ſes graviores & periculoſiores, in Schismata, in Scepticismum ac Atheismum ipſum, ſi nullo prorſus fræno, ſi nullo terrore compeſcantur. Mitior tamen rursùs iis infligenda, qui in hæreſi nati & educati jam tum in Juventute præjudicia difficillimè poſthac vincenda imbiberunt; mitior quoque iis, qui dociles ſunt, & prædicationem inſtructionémque promptè ſuſcipiunt, miſericordiâ propterea digni, quòd ignorantiâ potiùs, quàm pravâ voluntatis diſpoſitione in errorem inciderint. Graviùs verò puniendi, qui propriâ ſuâ pertinaciâ doctrinam ſalutarem reſpuunt, eíque aures occludunt; horum enim ſuperbiâ fit, ut in falſitate perſtent, ſibi atque Eccleſiæ veræ noceant, & ad lucem rursùs non aſſurgant, maximè ſi jam adulti â vera Religione ſemel agnita ad falſam deſciverint.

XXIV. Veruntamen nec iſtas Hæreticorum merorum, etiam Apoſtatarum & pertinacium graviores pœnas ad ipſum ſupremum mortis ſupplicium extendendas velim, ad quod Charitas nonniſi difficillimè, & rariſſimè, imò vix unquam deveniri patitur. Charitatem & manſuetudinem in ipſo diſputandi & eosdem convincendi ſtudio exigit Apoſtolus *Epiſt.* 2. *Tim.* 2. *v.* 25. „Servum autem Domini non oportet litigare; ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia ſeu lenitate corripientem eos, qui reſiſtunt veritati, ſcilicet, qui ſunt in errore pertinaces. Conſiderandi ſunt non tanquam hoſtes irreconciliabiles, ſed tanquam fratres errantes, qui poſſunt ſe ſemper adhuc erigere & ſalvare, nobis interim cadentibus & pereuntibus:

bus : opponendus illis non aliter authoritatis vigor, & vis doctrinæ, niſi ut lucrifiant per manſuetudinem & indulgentiam charitatis. Magìs itaque â pœnis præſertim mortis temperare debet manſuetudo & charitas: Hæc ſanè indui tantiſper perſonam horum errantium exigit ex conſilio S. Auguſtini *in Lib. contra Epiſt. Man. cap.* 1. tum ad diſputandi rationem, tum ad ſalutares etiam pœnas applicabili: Ibi. „Illi in vos ſæviant, qui neſciunt, „cum quo labore verum inveniatur, & quàm difficilè „caveantur errores. Illi in vos ſæviant. . . Ego ſævire „in vos omninò non poſſum, quos ſicut me ipſum illo „tempore, ità nunc debeo ſuſtinere, & tantâ patientiâ „vobiſcum agere, quantâ mecum egerunt proximi mei, „cùm in veſtro dogmate rabioſus, & cæcus errarem.„ Qui ità illorum perſonam induit, facilè intelliget, quàm ſerò, aut nunquam expediri mens poſſit â præjudicatis opinionibus, quas certas Deóque gratas exiſtimat, præſertim ſi â teneris unguiculis inſpiratæ, â parentibus filiorum amantiſſimis acceptæ, & tenellis cordibus inſculptæ fuerint, quæ in naturam quodammodò tranſierint, quantáque facilitate impreſſæ fuerunt, tantâ difficultate exſculpi atque expelli inde poſſint. Qui benè percipit, quòd fides ſit donum Dei; quàm illuſiones fallaciæque Dæmonis ſint vehementes, quàm humana mens infirma & in errorem proclivis, tum quanta intellectûs ſemel errore detenti captivitas, quàm â naturâ contumax ſit hominis indoles; probè etiam ſentiet, cum eorum crimine & pertinacia multam quoque infelicitatem conjunctam eſſe, involuntarii verò non parùm, & probam aliquam ſubinde voluntatem ac indolem: quæ omnia illum adeò

inſul-

inſultare & iraſci erranti non permittent, ut potiùs miſeriam ipſius ſit commiſeratione proſecuturus. Prætereà Hæretico pertinaci, in quem Lictor animadvertit, omnis præcluditur via ad ſalutem, tempúsque reſipiſcendi aufertur, & ſic finis ipſe ſalutarium vexationum intervertitur. Alii facinoroſi plerique ſceleris ſui turpitudinem agnoſcunt, & pœnitentiâ ducti mortem ipſam corporis in animæ ſuæ utilitatem vertere poſſunt, & conſcientiâ accuſante ac ratione ipsâ edocti ultrò ſe pœnis & morte dignos fatentur, aut ſentiunt: Et tamen pro his olim interceſſerunt Epiſcopi, non alio ſanè fine, quàm ut de ſalute ſua æterna ſecuriores redderenrur, quâ periclitari aliàs ob breve pœnitentiæ ſpatium credebantur, teſte S. Auguſtino in Epiſtola ad Macedonium, in verbis: *Ideò compellimur humani generis charitate intervenire pro Reis, ne iſtam vitam ſic finiant per ſupplicium, ut eâ finitâ non poſſint finire ſupplicium*; quibus interceſſionibus Epiſcoporum Jus Aſyli Eccleſiis competens deberi, comperta res eſt: Et cur non laudabilius ſit, errantes ejusmodi ſuſtinere & differre potiùs ad emendationis ac pœnitentiæ ſpem, quàm urgere ultrò feſtinantes in æterna ſupplicia? Quis enim ſcit, annon aliquando eisdem daturus ſit Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant â diaboli laqueis, â quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem? 2. *Timoth.* 2. *v.* 25. *et* 26. Adhæc teterrimus ille mortis terror non inane aut vanum ſaltem periculum facit, ut pro apertis Hæreticis fictos non raró habeamus Catholicos, qui nimirum ex timore potiùs, quàm ex amore tales eſſe velint, quod â mente Eccleſiæ & meliorum profectò abhorret. Denique ſi poſtremum ſupplicium

intre-

intrepidè â nonnullis cum Joanne Huſſ, aliisque feratur, ipſe error latiùs interdum ſerpit, cùm incauti homines non animorum pertinaciæ, ſed veritatis virtuti ac fiduciæ tribuant miſeram illam in tormentis & morte conſtantiam. Quid multa? Hâc in re ſtudendum, ut ſicubi peccandum ſit, ex benignitate potiùs nimiâ, quàm ex nimio rigore peccetur.

XXV. Hæc ſanè principia conſtanter tenuit Eccleſia, eíque firma adeò fixáque ſederunt, ut nec poſteriori ævo illa deſeruerit. Teſtis eſt Sanctus Bernardus *Lib. III. de Conſiderat. ad Eugenium Papam III. Cap.* 1, ubi Pontificis munus eſſe aſſerit, dare operam, quantum poſſit, ut increduli convertantur ad fidem, converſi non avertantur, averſi revertantur, ſubverſores invictis rationibus convincantur. Porrò Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. etiamnum eisdem verbis & eodem ſenſu cum S. Leone *ſuprà citatâ Epiſt.* ſtatuit & agnovit *Canone XXVII. et ultimo*, quòd Eccleſia executiones ſanguinolentas Hæreticorum refugiens, ſeveris Principum conſtitutionibus adjuvari ſuſtineat; dum ad ſpirituale nonnonnunquam recurrant remedium, qui corporale timent ſupplicium; & illa tantùm ſupplicia præoptavit, quæ non inferunt mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat. Sæculo ſequenti XIII. Innocentius III. contra Hæreſin Albigenſium ſeditioſam conſtituit Monachos quosdam Ordinis Ciſtercienſis, poſtea Epiſcopum quoque Oxomenſem ac S. Dominicum Inquiſitores ac Legatos in cauſa fidei, convertendis Albigenſibus & aliis Hæreticis primùm deſtinatos cum facultate prædicandi, inſtruendi,

objur-

objurgandi & adhortandi Hæreticos, imò & refractarios puniendi, ſed canonicè, ſive pœnis Eccleſiaſticis: Et ſicut ejusdem S. Dominici Alumni, & Fratres Minores prædicandæ, & voce ſcriptísque defendendæ contrà Hæreticos fidei munus ſibi ſumpsêre, ità & Pontifices eorum hâc in Inquiſitione operâ utendum, eósque Epiſcopis, quibus cognitio de crimine Hæreſeos competebat, adjungendos cenſuerunt. Jurisdictione tamen omni tum deſtituti numerum conditionémque Hæreticorum cujusque loci explorârunt, diligentem Epiſcoporum zelum, & Principum protectionem ſedulò obſervârunt, Romámque retulerunt: imò & pededentim nonnunquam Magiſtratus ad proſcribendos vel puniendos Hæreticos, ad arma ſumenda, populósque ad ſocietatem belli ſigno Crucis panneo pectori affixo excitârunt. Nihil tamen ſpeciale iis commiſſum, aut conſtitutum fuerat circa modum contra Hæreticos procedendi, nullúmque certum tribunal Inquiſitionis erectum: ſed & hâc facultate paulò poſt inſtructi, velut delegati Summi Pontificis magno rigore contra Hæreticos non tantùm veros, ſed etiam præſumptos & de Hæreſi ſuſpectos proceſſerunt ad varias pœnas infligendas, imò & ad pœnam mortis uſque, pro quâ exequendâ incorrigibiles extradi ſolent Curiæ ſæculari, ſemper tamen cum proteſtatione & obſecratione, ut leniter in ipſos agatur; adeò, ut nec hujus tribunalis inſtitutio ab illis conſtantibus lenitatis Eccleſiaſticæ maximis abluſiſſe videatur.

XXVI. Sunt tamen, qui ſaltem in praxi Judices hóſce Eccleſiaſticos eas maximas non ſemper ſecutos exi-

 ſtiment,

ſtiment, dum ipſi Inquiſitos mortis reos, quamvìs ſub alia verborum formula: *ſolvatur carne*, priùs declarant, quàm Curiæ ſæculari extradant; atque adjungi ſolita, evitandæ Irregularitatis causâ, illorum proteſtatio & interceſſio de praxi illorum adeò in meram ceremoniam & formalitatem abiit, ut ne attendi quidem poſſit â Judice ſæculari, ſed vel cenſurarum comminatione adigatur ad pœnam illam neceſſariò infligendam, quæ quidem pro gravitate & enormitate delicti pro variis pœnitentiæ aut impœnitentiæ gradibus interdum mitior, & interdum acrior infligitur, ipsâ tamen interim, ùt ajunt, aggratiandi facultate Principi denegatâ & interdictâ. Offendit complures inſolitus ille in procedendi modo rigor, qui vix in ſæcularibus Judiciis adversùs graviſſimorum criminum, Rempublicam maximè turbantium, reos exerceri ſoleat; Nec minùs iis diſplicet nimia, quam credunt, in proceſſibus adversùs ſuſpectos duntaxat decernendis facilitas, quâ anſam malevolis & pſeudopoliticis hominibus dari autumant, virorum integerrimorum famam ſub ſpecioſo zeli, pietatis, & Religionis prætextu proſcindendi, & calumniis perſequendi; ſcandalizari demùm ſe aſſerunt, inſolitâ illâ actûs fidei, quem appellant, ſolemnitate ac oſtentatione, quâ funeſta & tragica miſerorum errantium clades in ſpectaculum reliquorum in Hiſpania maximum, ac triumpho ferè ſimile converti videatur.

XXVII. Quod autem de hoc Tribunali ſentiendum, id omne & totum eſt, quòd ejusdem inſtitutio ex principiis hactenùs dictis ad ſolam Politiam externam ac diſciplinam pertineat, & ſit medium quoddam recentiùs inven-

inventum & invectum ingeniorum temeritatem comprimendi, â Domini tritico zizania eradicandi, ac terras illas, in quibus id erectum eſt, Hæreſi infectas purgandi, aut nondum infectas eâ immunes præſervandi: Sicut eam Hiſpaniæ & Luſitaniæ hujus ope & beneficio contigiſſe felicitatem Hiſtoria teſtatur, quòd Religiones ab antiqua & Catholica diſſentientes, quæ in aliis Regionibus noviter invaluêre, inde prohibitæ, & prorsùs excluſæ fuerint. Interim abſolutè neceſſarium non eſſe, praxis anteriorum XII. Sæculorum oſtendit, quæ nullos fidei Inquiſitores, aut Hæreticæ pravitatis vindices noverant præter Epiſcopos, quibus jure quodammodo naturali ex Epiſcopali & Paſtorali cura profluente competebat jus inquirendi in Doctrinæ Chriſtianæ corruptores Hæreticos, eósque in Spiritu lenitatis Apoſtolicæ impediendi, ne in errorem fideles Epiſcopis concreditos inducere poſſent. Et huic ſuffragatur quotidiana experientia, cùm & iis in terris, ubi Inquiſitio vel ſemel inducta denuò expulſa, vel nunquam recepta fuit, æquè hactenùs viguerit Religio Catholica, imò magìs ſolidè & tradita & exercita fuerit, quàm in iis, ubi maximâ cum authoritate Inquiſitores illi præſunt.

XXVIII. Unde omnia illa principia huc applicanda veniunt, quæ & in reliquis rebus & Legibus disciplinam externam concernentibus ab Eccleſia ipſamet attenduntur & probantur: quòd nimirum, ſicut non omnibus vulneribus eadem emplaſtra, non omnibus morbis venæ ſectiones, eadémque remedia & pharmaca conveniunt, ità & pro bono aliarum Eccleſiarum non eadem ſem-

per commoda ſint, quæ Hiſpaniæ, Italiæ, aliíſque locis conveniunt, utì jam pridem obſervatum eſt ab Iſidoro apud Gratian. *Diſt. IV. Can.* 2. „Erit autem omnis Lex „honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundùm naturam, ſecundùm „Patriæ conſuetudinem, loco, temporíque conveniens, ne„ceſſaria, utilis &c. Atque vel ideò pro diverſitate locorum, aut temporum poteſt eadem Inquiſitio alibi tanquam utilis eſſe recepta, alibi verò tanquam inutilis, imò & ſubinde pernicioſa, ſcandalis, ac perturbationibus, gravioribúsque malis anſam præbens meritò exulare. Et cùm porrò Politia & diſciplina exterior Eccleſiæ cum ſtatu Politico & publico Regni Syſtemate, quod in diverſis mundi partibus aut Provinciis non unum idémque, ſed varium & diverſum pariter exiſtit, arctè admodùm, quin adeò connexa eſſe dignoſcatur, ut ab ejusdem rationibus ſe prorsùs divelli haud patiatur; argumentum quod in præſenti Inquiſitionis materia ab Hiſpania & Luſitania & cœteris terris ad alia Regna & Provincias orbis duci amat, minùs rectè concludet.

XXIX. Sit enimverò illa utilis Hiſpanis, Luſitanis, & aliis, ſit & genio ac indoli eorum magìs accommoda, imò neceſſaria, eòquòd illorum ingenia nimiùm luxuriantia & ultra modum ambitioſa fræno arctiori coërcenda viderentur, ne in errores exorbitantes facilè ſuâ temeritate deflecterent: ſed etiam vel inde magìs Regnis iſtis convenit, ut, quidquid Judæorum ac Maurorum illis in terris ſupereſt, qui ad ſimulationem Chriſtiani ritûs compoſiti animum nondum mutârunt, & utrique Reipublicæ graviſſimè inſidiati ſæpiùs fuerunt, metu gravioris

ejuſmodi mali ſaltem in officio contineri poſſent. Quæ rationum ſpecialitas Syſtemati eorum Regnorum Politico propria permoviſſe Reges videtur, ut ſeverius hoc Tribunal, tanquam publicæ Regnorum quieti & tranquillitati apprimè conveniens, ſuis Legibus adoptarent.

XXX. Prætereà mortis pœna ubi infligitur, Reges illi tanquam gladium geſtantes in vindictam malorum, Jure merè Regio & ſupremo Imperio ſibi proprio uti, non ità protectionis & Advocatiæ Eccleſiæ munere dedefungi, cenſendi veniunt; ſiquidem Lex nulla Eccleſiæ extat, quæ ſanguinem ſitiat, Canon nullus, qui ignem & ardentes rogos ſpiret, cujus Reges, velut Eccleſiæ Protectores, inſimul ſint executores. Et inde eſt, quòd Regia undique Auctoritas multis ex argumentis illis in Tribunalibus præemineat. De Hiſpania enim id teſtatur Doctiſſ. Fleury *Inſtitut. Jur. Eccleſiaſt. Part. III. Cap. IX.* §. 3. „Interim Pontifici nihil Juris in Inquiſitionem Hiſpanicam, præterquàm quòd Inquiſitorem „Generalem, quem Rex cunctis Provinciis præponendum nominat, confirmare ſolet, qui viciſſim ex nutu „Regis nominat ſingularum Provinciarum Inquiſitores. „Ipſe eſt Conſilii Inquiſitorii Præſes natus, abſolutaque „præditus poteſtate, ſempérque â Latere Regis. Conſilium illud Leges Inquiſitoribus præſcribit, eorum lites „decidit, peccata punit, miniſtros inferiores caſtigat, appellationes recipit, nec niſi Regem agnoſcit ſuperiorem; „& ex eo pendent cœteræ omnes in cœteris Hiſpaniæ „terris, imò apud Indos, hoc eſt, in Inſulis Philippinis „& in Americæ continenti ſtabilitæ Inquiſitiones.„ Quò

etiam facit, quòd eorundem Tribunalium facultatem, poteſtatémque diverſis temporibus, proùt magìs expedire iis videbatur, legibus ſuis vel ampliaverint, vel ſubinde coarctârint; Sicut & noviſſimè Edictum ibidem emanâſſe perhibetur, quo Rex Luſitaniæ partim reorum Inquiſitorum conſtitutum & audientiam (ne ſcilicet ſæpè innocentes nimis diutinis captivitatis moleſtiis affligerentur) ultra quatriduum differri vetuit, partim integri proceſsûs & ſententiæ ab Inquiſitoribus in reos latæ reviſionem ſibi aut Senatui Regio reſervavit. De Veneta porrò idem Fleury citato loco ità loquitur: „Veneta igitur Inquiſitio ex Curia Romana non pendet; ſed „Ducem habet ſententiarum executorem & rei nummariæ depoſitarium. In urbe tres Senatores; extra urbem „Rectores civitatum huic judicio adhibendi ſunt.

XXXI. Cœterùm Italicis in terris ſpeciales Statûs tum Politici, tum Eccleſiaſtici rationes ejusdem Inquiſitionis introductionem promoviſſe plurimùm, nemo dubitat. Cùm ibidem Ditioni ad Statum temporalem Eccleſiæ Romanæ pertinenti Summus Pontifex Jure ſupprematûs etiam in civilibus, & magna ex parte veluti Antiſtes in Eccleſiaſticis cum eminentiori poteſtate ſimul ibidem præſit; in vicinis porrò tum provinciis aliorum Principum, tum Diœceſibus Epiſcoporum Urbi propiorum major ejusdem habeatur authoritas, atque hi præter communem illam omnibus Epiſcopis orbis Catholici cum Sede Romana velut centro unitatis communionem ac ſubordinationem Hierarchicam eſſentialem, arctioribus adhuc dependentiæ vinculis eidem adſtringi ſoleant. Sed

neque

neque hoc loco omittendum, aut diſſimulandum, quòd Italicæ Inquiſitionis Magiſtratus mitiſſimi omnium ſint, ac longè minore ſaltem, quám reliqui, ſeveritate utantur; cùm Sedes ipſa Apoſtolica hoc tribunal medicinale eſſe voluerit, non aſperitatis, & inclementiæ meram vindictam inferentis. Nec tamen etiam illud ignoratur, in his adeò Provinciis, inſuper habitâ magnâ Romani Pontificis authoritate, nonniſi magno cum labore, & iteratis ipſorum Inquiſitorum cædibus, imò & in Urbe Romana nonniſi ſeriùs ſtabiliri & firmari illam potuiſſe.

XXXII. Minùs igitur ſuccenſendum eſt aliis Regnis & Provinciis Ultramontanis, quod Tribunal illud necdum adoptârint. Amârunt quippe pleræque Nationes vel maximè Catholicæ ſuorum potiùs Epiſcoporum judicia hac in re experiri, quàm extraneos Judices extraordinarios & non neceſſarios ſibi ſuper capita imponi, quos demum in Tribunal ordinarium abituros eſſe, metus non inanis fuerat. Reges & Principes non adeò affectabant, peregrinis hominibus novæ Jurisdictionis adminiſtris ſubditos ſuos derelinquere, imò ad horum internecionem, absque ulla proceſſûs reviſione, famulitiam executionis operam commodare, de quibus timor fuerat, ne mandati regulas transgrediantur, culpásque ac ſuſpiciones augeant, exaggeréntque, ut ſit, quod agant. Ipſi demum Epiſcopi, utut zeloſi, & Eccleſias ſuas ab omni labe Hæreſeos puras exoptantes, eidem tamen Tribunali uſque ab initio ſeſe oppoſuerunt, ſcientes, quòd mala & incommoda, forſan hæreſi ipsâ non admodum minora, etiam in easdem Eccleſias ſuas induci poſſint per

hypo-

hypocriſin, ſuperſtitionem & ignorantiam, quæ ab immodico illo Inquiſitionis (ſi tamen vera ſunt, quæ de Hiſpanæ & Luſitanæ Præſidibus feruntur) in ſuſpectos præſertim exercendæ rigore vel nunquam, vel oppidò difficulter ſeparari poſſe iis videbantur. Prætereà ſtuduerunt potiùs doctrinâ ſolidâ populos inſtruere, rationibus congruis convincere, Paſtoribus ipſis ſibi ſubordinatis invigilare, ac puritati potiſſimùm moralis Chriſtianæ intendere, ne diſſolutio morum in Clero & populo aberrationem â fide induceret. Grave porrò morali huic Chriſtianæ vulnus infligere videtur ipſa illa in Hæreticos, præſertim ſuſpectos tantùm & ex inſordeſcentia in excommunicatione præſumptos, ſeveritas; indéque (ſi fides Doctiſſimo Fleury *Diſc. VIII. in Hiſt. Eccl.* §. 14. ſit habenda) nullæ terræ laxioribus Caſuiſtis fœcundiores eſſe ſolent, ac illæ, in quibus tanto cum rigore Inquiſitionis Tribunal eſt receptum. Pluribus denique aliis malis, ſeditionibus, & turbis publicis Reipublicæ profanæ, imò & defectioni â fide Catholica & Eccleſia Romana anſam & occaſionem dare poſſe, imò dediſſe, funeſtum noſtris in partibus exemplum Batavi cum Provinciis Belgii fœderati exhibuerunt, qui vel ſolo Inquiſitionis â Rege Hiſpaniæ Philippo II. per Albanum Ducem armatâ manu introducendæ metu & â Regno Hiſpaniæ, & â Religione Catholica deſciverunt.

XXXIII. Ex his ſcilicet, aliiſque ſimilibus rationum publicarum momentis, in Francia eadem Inquiſitio, utut conſentientibus Epiſcopis & Senatu Regio ſemel introducta, denuò tamen abolita fuit, ubi inciderunt bella civi-

lia,

lia, edictis pacificationum poſteà ſopita, queis ità illa exulare juſſa fuit, ut nullum ejus veſtigium ampliùs ſuperſit. In noſtram verò Germaniam, hæc utut Legibus & conſtitutionibus civilibus Imperatoris Friderici II. ſtipata, ejúsque authoritate fulta, penetrare nunquam potuit; Non enim omnis Reipublicæ, ſive Imperii Cura in Imperatore, utut Summo Capite, ſolo reſidet, ſed in plura Capita, tam majora, quàm minora ibidem diviſa ac diſpertita dignoſcitur. Ad hæc Germanica certè Natio, utì & cœteræ Septentrionales ſeriùs â Paganismo ad fidei Chriſtianæ veritatem adductæ, extra æſtum illum ità dictæ reformationis, incubante & fermentante gravi tum temporis ignorantiâ, & morum in Clero & populo diſſolutione, ſubitaneis ferè motibus diffuſæ, minùs ſemper in hæreſin, quàm in ſuperſtitionem, atque in laxitatem moralis doctrinæ proclivis fuit. Unde majori ſollicitudine cavendum erat, ne evitando charybdim, in Scyllas incideretur: Nec alium hujus rigoris effectum, quàm turbas & ſeditiones Belgicis ſimiles, ſperare permiſit nativum illud Germanis omnis novitatis odium, tenax Libertatis ſuæ tuendæ ſtudium, & guerriera, bellíſque aſſueta indoles. Hodie verò, ſalvâ fide publicâ Proteſtantibus datâ, quâ, inviolabiliter utique ſervandâ, liber tranſitus ab una ex tribus in Imperio receptis Religionibus ad aliam cuicunque integer ibi permittitur, impracticabilem prorſus eſſe ejus introductionem, nemini non conſtat. Sed & ſi, præſcindendo â Pacificationibus Publicis Religionis causâ initis, adverſus novas prorſus doctrinas ejus invectionem tentari contingeret; hæc Religionem Catholicam reapſe maximè

Proteſtantibus redderet exoſam, & eò plures ſanè immoderato zelo ab eadem ſuſcipienda deterrerentur, quò plures nunc in ipſa, quamcunque ex tribus receptis Religionem profitendi libertate, ſolius doctrinæ cum zelo ſecundum ſcientiam & prudentiam propoſitæ vi, prævenientéque & auxiliante Spiritûs ſancti gratiâ eò reverti quotidie conſpicimus.

XXXIV. Hæc igitur omnia principia hactenus deducta ſatìs ſupérque innuunt, Libertatem conſcientiæ, quæ quidem, poſt editum de controverſa quâdam fidei quæſtione Eccleſiæ divinitus authoratæ judicium ac decretum, Jure Divino nulla ampliùs reſidua eſt, â Principibus tamen hujus ſæculi eatenus permittendam eſſe, ne pœnis mortis & extremis ſuppliciis ad ſequendum illud decretum diſſentientes immediatè cogantur: Moderatis tantùm pœnis illos ſollicitandos & excitandos eſſe ſtatuimus, ut majorem perſuaſionibus, doctrinæ, & argumentis attentionem afferant, ſuæque ſaluti diligentiùs in re tanti momenti, imò unicè neceſſariâ conſulant. Ità enim charitas & miſericordia potiùs in eos exercetur, quàm ſeverior & propriè dicta vindicta. Hæc etiamnum arcenda ab iis, qui quidem errant, & voluntariè errant, ſed citrà ſcandalum, vel publicam jactantiam, & diſſeminationem ſuorum dogmatum, ſuâ ſibi opinione & ſectâ contenti, nihil turbarum nec in Eccleſia, nec in Republica miſcent.

XXXV. Denique caſtigationibus moderatis ad finem ſalutarem modò memoratum nihil proficientibus, vix expedire videtur, ut ſeverioribus exulcerentur magìs

gis, & exaſperentur; ſed lenioribus potiùs mediis eorundem ſaluti eſt proſpiciendum. Quænam verò illa ſint, alibi dicendi locus erit. Cùm tamen & præmiorum ſpes, ac favorum ſpecialium exhibitio iis accenſeri ſoleant, id unum ad ſcopum præſentem attinet, ex iisdem modò memoratis principiis nec pravitatem ſimoniacam, nec aliam quandam turpitudinem â Jure reprobatam iis ex natura ac indole ſua ineſſe. Non enim Religio ità venalis exponitur, nec in commercium, aut turpem quæſtum trahitur, nec ulla in dantem aut offerentem utilitas ordinariè provenit; ſed apta hìc ea videtur Scholaſticorum motivum inter, & pretium diſtinctio, utpote ab omnibus illis abſurdis ſequelis & incommodis (quibus eadem velut involucrum æquè, in materia Beneficiaria, quàm aperta Simonia ſubjacet) hìc longiſſimè remota. Porrò nec offerentis, nec recipientis ea eſt intentio, ut ſpe lucri conſequendi, contra conſcientiam, & cùm fide fictâ, Religio utut vera ſuſcipiatur; ſed ut favoribus impenſis, & præmiorum ſpe animi mitigentur, ac ſepoſitis ſiniſtris præjudiciis, odio præſertim alienæ Religionis irrationabili ac paſſionibus vacui, aut ſublato curarum temporalium impedimento veritatem diligentiùs ſcrutentur, perſuaſiones & convictiones ſalutares, doctrinamque Eccleſiæ avidiùs excipiant, & ſic ſolius veritatis amore, non autem ſpe lucri errorem ſuùm ratione præviâ, & gratiâ Dìvinâ duce ac comite ſatìs agnitum tandem ex fundo cordis deteſtentur, convertantur & vivant.

 CAP. XII.

CAPUT XII.

De Tolerantia diverſarum Religionum, & ejus effectibus concluditur.

SUMMARIA.

I. *Anacephaleoſis prioris Capitis & præſentis propoſitum.*
II. *Humanitas aliquam tolerantiam exigit.*
III. *In ſtatu quoque civili non omnia poſſunt prohiberi, ac puniri.*
IV. *Sed multa tolerari, Reipublicæ utilitas ſuadet.*
V. *Deus in ſtatu Reipublicæ Judaicæ aliquam tolerantiam non excluſit, cujus exempla afferuntur.*
VI. *Nec Chriſtus eandem ab Eccleſia ſua, velut Republica ad perfectum adducta, prorſus alienam voluit.*
VII. *Hanc Chriſti Legem imitata fuit Eccleſia priorum temporum rigidior, & magìs poſterioribus ſæculis.*
VIII. *Quando huic tolerantiæ Eccleſiaſticæ locus dandus ſit, oſtenditur.*
IX. *Non tamen omnis emendationis cura dimittenda eſt.*
X. *Nec indiſcriminatim omnia vitia pari indulgentiâ tolerantur.*
XI. *Quæ doctrinam Eccleſiæ lædunt, graviùs corripienda.*

XII.

XII. *Hæreſin nunquam tolerat Eccleſia in ſinu ſuo, nec cum Hæreticis communionem ſacrorum retinere poteſt.*

XIII. *Idque Juris Divini eſſe, oſtenditur.*

XIV. *Suas tamen definitiones prudenter interdum differt, imò & attemperat.*

XV. *His proditis in ſola Diſciplina & politia externa condeſcendit.*

XVI. *Hâc condeſcendentiâ nihil proficiente, rigori Excommunicationis inſiſtitur, qui etiam ad civile commercium extenditur.*

XVII. *Aſt hæc extenſio non Juris Divini, ſed merè humani eſt, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ rurſus viciſſitudinibus obnoxiæ, in qua proin Eccleſiæ cedere licet.*

XVIII. *Unde & Principibus in his cedere, & quidem longiùs, quàm Eccleſia ſoleat, quandoque permiſſum,*

XIX. *Quanquam difficiles eos eſſe oporteat.*

XX. *Unde arbitraria non eſt Principi Orthodoxo tolerantiæ & libertatis Exercitii conceſſio, nec propter ſolum emolumentum temporale indulgenda.*

XXI. *Sed ſola ejus cauſa eſt neceſſitas & jactura vel evidens bonum Religionis Orthodoxæ.*

XXII. *Exemplo Gentilium ac Judæorum â Chriſtianis Imperatoribus toleratorum illuſtratur.*

XXIII. *Hæreticorum quoque tolerantiam Pontifices & Patres his ex cauſis probârunt.*

XXIV. *Gratioſa revocari poteſt, imò ceſſante cauſâ & debet.*

XXV. *Ejus effectus indicatur.*

XXVI. *Amplior eſt tolerantia neceſſaria, quæ etiam perpetua conſtitui, ex cauſis tamen gravioribus, poteſt.*

XXVII. *Semel legitimè conſtituta perpetuò Principem obſtringit.*

XXVIII. *Quâ tamen nunquam falſæ Religiones approbari poſſunt, aut volunt.*

XXIX. *Poſſunt tamen approbatæ & orthodoxæ prorſus æquïparari.*

XXX. *Imò & protectio iis impendenda, tolerantiæ limites haud egreditur, nec approbationis ſpeciem involvit.*

XXXI. *Tolerantia hæc quamvìs moderetur, nunquam tamen excludit in Principe propriæ Religionis Orthodoxæ Advocatiam,*

XXXII. *Qui ejusdem limites, vel lege vel pactis publicis poſitos attendit.*

VIndicatus Capite proximè præcedente eſt ab Injuſtitiæ & Tyrannidis nota moderatus pœnarum ſalutarium non tantùm Eccleſiaſticarum, ſed & temporalium â Principibus ſæcularibus infligendarum in Hæreticos ab Eccleſiæ diſſentientes vigor, atque ex triplici potiſſimùm fonte deductus: Ex ipſa ſcilicet Reipublicæ profanæ cura, ex Advocatia & Protectione Eccle-

ſiæ

ſiæ ac Religioni Orthodoxæ debita, ex vero & Chriſtiano demum Principum in ſubditos amore, quorum non tantum temporalem felicitatem ac tranquillitatem, ſed & ſalutem æternam pro viribus ſuis tuentur, ac promovent. Non tamen ità neceſſariæ ſunt pœnæ illæ ac vexationes, ut ſemper & neceſſariò infligendæ ſint, ſed ipſorum Eccleſiæ Patrum & Paſtorum circa illarum uſum, pro diverſitate temporum, diverſa fuit ſententia, proùt Eccleſiæ ac Religioni Orthodoxæ utilius exiſtimârunt, adeò, ut conniventia ac diſſimulatio quædam â Principibus rigori, ùtùt juſto, quandoque ſit præferenda. Ampliorem verò majorémque expreſſa tolerantia libertatem involvit, de cujus proinde juſtitia paucis impræſentiarum erit diſpiciendum.

II. Ac primò quidem Authoritas Principum non omnem ponit humanitatem, ſed humanus eſt is ipſe Principum in ſubditos amor; atque ubi auguſta illorum pectora ſemel occupavit, humanæ quoque imbecillitatis immemores eſſe non ſinit, ejúsque præ primis rationem habendam dictat. Quàm autem diverſi ſint hominum mores, quàm varii eorum genii in pejus tamen ſemper propenſiores, indéque quàm multa & infinita propè vitia atque exceſſus enaſcantur, nemo poterit vel explicando aſſequi, vel enumerando percenſere. Unde ne ex tanta inclinationum humanarum, & ſenſuum de malo & bono maximè differentium varietate continua inter homines diſſidia & odia foveantur; homo hominem in ſtatu naturali patienter ferre, vitia, mores, & imbecillitates, ùtùt ſibi ingratas &

ad-

adverſas, dummodo non nocivas ſibi atque damnoſas, tolerare debet; nemo autem cogendus eſt, ut ad alienos mores & inſtituta ſe præcisè accommodet, vitiáque, quibus laborat, deponat. Philanthropia id exigit; ſolam verò injuriam ſibi aut inferendam avertendi, aut illatam reſarciendi & vindicandi jus tribuit.

III. Incredibilis equidem hæc hominum corruptio & miſeria poſtulabat, ut civitates & Respublicæ conſtituerentur, hominésque ob Naturæ ferocitatem, quæ maximis criminibus ſeſe prodit, authoritate Magiſtratuum, Legibus humanis, & imperio quodam intra debitos limites continerentur. Status iſte civilis dicitur, quem produxit Societas inter imperantem & ſubditos, in quo illius eſt imperare, horum parere, primariò tranquillitatis communis, pacísque causâ, qui finis aliter obtineri nequit, quàm præſidio legum, præmiorum, pœnarúmque, ſine quibus nec gens, nec civitas, nec familia ſtare diu incolumis poteſt; cùm plerique homines veræ libertatis ignari & incapaces ad vitia declinent, niſi legibus ea limitetur, præmiis regatur, & pœnis quoque adjectis, quæ non obſervantes certiſſimè maneant, coerceatur. Nec tamen per has prorſus tolli, aut radicitus exſcindi poſſunt pravi hominum affectus in malum proni; ſed duntaxat emendari, temperari, & impediri potiſſimùm, ne in aliorum injuriam erumpant.

IV. Inde neceſſe ſæpiùs eſt, ut in Republica & ſtatu quoque civili mali quidam mores & facta aliàs im-

pro-

probata tolerentur, & pudori relinquantur, non pœnæ ſubjiciantur. Etenim non ſemper Principi integrum eſt, ea tollere aut eliminare, ſed verendum potiùs, ne mutatio & ſublatio talis, præſertim ſubitanea & violenta, magìs damno Reipublicæ futura ſit, quàm emolumento. Legislator aut Princeps dum nimis emungit, elicit ſanguinem, ùt ait Salomon *Proverb. cap.* 3.; cùm conditio hominum, multitudinis præſertim, quæ è pluribus ſemper malis conſtat, non ferat nimium rigorem: ut vel inde ad ſummas Imperii habenas ineptus cenſeatur, qui diſſimulare neſcit, nec alios ſuarum legum limites, quàm perfectiſſimæ cujusdam Reipublicæ Platonicæ normam conſtitueret, immemor, in fæce Romuli ſe etiamnum verſari. Sicuti nimirùm Medico non ſemper integrum eſt, ægrotantibus, nondum exploratâ ſatìs virium facultate, medicinam applicare quamcunque, quia, judice Seneca *in Conſol. ad Helvid. cap.* 1. in morbis nihil eſt magìs periculoſum, quàm immatura medicina, & Medici plus quiete, quàm movendo atque agendo proficiunt, ùt in ſimili obſervat Livius *Lib.* 22. *cap.* 18. Pari ratione ſeſe res habet in Republica, quæ corpori humano ægrotanti, multísque laboranti malis aptiſſimè comparatur; cùm & homines acriter in mores, ac vitia ſemel aſſumpta propendeant, & præconcepta ſemel præjudicia difficillimè vincantur, quorum immatura ac violenta coërcitio uni malo plura, eáque graviora, & ipſas quoque ſeditiones ac turbas publicas non raró adjunget: Quam in rem Tacitus *Lib. III. Annal. cap.* 52. ſapientiſſimè monet: „ Quodſi mecum antè Viri ſtre-

„nui Ædiles conſilium habuiſſent; neſcio, an ſuaſurus „fuerim, omittere potiùs prævalida & adulta vitia, „quàm hoc aſſequi, ut palàm fieret, quibus flagitiis im„pares eſſemus. Unde approbari mala, recta quidem ſemper vetat ratio; tolerari verò, adulta præſertim & prævalida, populi ſalus, quæ ſuprema lex eſſe debet, & publica ſæpiùs ſuadet utilitas.

V. Neque ſolius Politicæ profanæ, meræ & humanæ, Sapientiæ mundanæ, aut prudentiæ carnis hæc ſunt principia. Deus ipſemet dum populum Iſraëliticum velut Rempublicam ſuam ſpecialem optimis & utiliſſimis utique legibus inſtruxit ac munivit, ubique tamen easdem illius populi materialis & carnalis duræ cervici, genióque attemperavit, ut in iis adhucdum veluti pueris & imperfectis plura toleraverit, aut etiam indulſerit, quæ magìs im-quàm approbavit. Ità libellum repudii ac divortiorum frequentiam iis permiſſam fuiſſe â Moyſe ob duritiem cordis eorum, conſtat, quamvìs ex intentione ac inſtitutione Divinâ matrimonia indiſſolubilia ab initio fuiſſe, ac eſſe debere affirmet Chriſtus *Matth.* 19. Polygamiam quoque iisdem indulſit, quam tamen Paulus 1. *Cor.* 7. â morali puriore, quam in Chriſtianis exigit, abhorrere docet, Chriſto ipſo eodem in loco matrimonium revocante, ad primævam inſtitutionem, quâ Deus monogamiam, & æqualem utriuſque conjugis conditionem conſtituerat. Legem denique Talionis permiſit, ut oculum pro oculo, dentem pro dente repetere liceret, eòquòd primus juſtitiæ gradus

dus & pacis inchoatio videretur, ne injuriam acceptam vindictæ modus tranſiret. Cùm enìm vix inveniatur, qui irâ turbatus ob acceptum pugnum, verbum convitii, plures pugnos aut graviora convitia rependere non appetat; immoderatum hunc animi impetum ità refrænavit, ut, quod ſupererat inordinatum in appetitu vindictæ, non approbârit, ſed illud Chriſto, ad quem lex deducebat, eradicandum dimiſerit.

VI. Chriſtus ipſe porrò, quamvìs Eccleſiam ſuam perfectiſſimam conſtituerit Rempublicam, & ad omnem veritatis & ſanctitatis normam compoſuerit; eandem tamen inter homines mortales conſtitutam quibusdam horum vitiis & exceſſibus quandoque non carituram prævidit, quæ ſubitò & unico ictu exſcindere nec Prælatis Apoſtolorum ſucceſſoribus integrum, aut in eorum viribus poſitum, nec ſemper conſultum fore, eleganti illâ parabolâ Lolii & zizaniorum Apoſtolis ſuis *Matth.* 13. *v.* 28. *& ſeq.* expoſitâ indicavit, ubi prohibet, ne eradicentur zizania, ſed potiùs voluit, ut ſinerent ea creſcere uſque ad tempus meſſis, ne ſcilicet colligentes zizania, ſimul evellerent & triticum.

VII. Divina igitur cùm ſit, & Chriſti Evangelio roborata ea prudentia, ejusdem quoque regulas meritò ſequitur Eccleſia. Hujus diſciplina quidem nunquam ſeverior, quàm primitivis ſæculis & perſecutionum tempore, eluxit: Et ſicut omnes, qui tum Chriſto ſeſe ſubmiſerunt, nonniſi optimâ fide, ac præviè diuturnis

probationibus tentati acceſſerant; itâ promptâ docilitate Epiſcopis ac Paſtoribus ſuis parere ſolebant: refractarii verò reſciſſi â corpore Eccleſiæ, nullo eos reſpectûs humani vinculo retinente, relinquebantur redeundi ad Paganismum libertati; quâ ratione illis velut putridis membris eliberata cenſebatur Eccleſia. Iis tamen jam tum ſæculis, quantum poſſibile fuerat, ab his abſtinere ſolebat extremis Eccleſia, adeò, ut vel malos etiam Páſtores ſuo in ſinu ſuſtinere maluerit, quàm rumpendæ unitatis & Schiſmatis contrahendi periculo ſeſe exponere. Et quamvìs Conciliorum finis, præter controverſiarum fidei deciſionem, præcipuus nunquam non fuerit, collapſam ſubinde diſciplinam Eccleſiæ mediis, & viribus, queis poterant, omnibus reſtaurandi; contra abuſus tamen jam radicatos & inveteratos Leges ſuas itâ attemperârunt, ut modum illis ſaltem ponerent, ubi finem non poſſent, hoc modo rationes cum Seneca ſubducendo *Lib. II. de Ira cap.* 10. *Lento adjutorio opus eſt contra mala continua & fæcunda, non ut deſinant, ſed ne vincant.* Ac ne longiùs hujus rei exempla repetere videar; ipſummet Concilium Tridentinum ſiſto, cui cùm impoſſibile videretur, ab uno extremo ad aliud, â ſtatu corrupto Eccleſiæ ad ſtatum puriſſimum ſubitò provolare, quæ res erat magìs deſiderabilis aut optanda, quàm funeſtâ illâ ætate practicabilis aut etiam ſperanda; non ad rigorem & apices omnes diſciplinam reduxit; verùm plura ſtatuit, decrevítque non probando ſimpliciter, quòd ſic fiat, ſed præcavendo, nequid deterius contingat, plura impunita reliquit ac toleravit, quæ affulgentibus melioribus temporibus emendan-

danda reſervare, conſultius duxit, quod ſæpiùs exemplo, Seſſione verò XXV. *de Regul. cap.* 21. etiam verbis teſtatur: Ibi. „Verùm adeò dura difficilíſque eſt præ„ſentium temporum conditio, ut nec ſtatim omnibus, „nec commune ubique, quod optaret, remedium poſſit „adhiberi.

VIII. Cùm verò prudenti huic Eccleſiæ condeſcendentiæ & œconomiæ eæ potiſſimùm regulæ ſubſerviant: Quòd ſcilicet ex duobus malis collidentibus, quæ ſimul utraque evitari nequeant, minus ſit eligendum, id eſt, non quidem approbandum, ſed tolerandum. Item quòd ex uno malo non ſint facienda duo, malum porrò bono loco poſitum non leviter movendum; facilè patet, tum potiſſimùm eidem locum eſſe concedendum, quando abuſus & vitia quædam multitudine, aut authoritate peccantium ſuſtinentur. Id enim Sanctus Auguſtinus non velut novam diſciplinam, ſed velut antiquam traditionem & praxin â Patribus obſervatam docet, quòd Eccleſia toleret peccata multitudinis; ſeveritatem verò tantùm in peccata paucorum exercere ſoleat: eòquòd veroſimile ipſi viſum fuerit, hominem perverſum & corruptum, ubi in ingenti bonorum numero ſolus invenitur, aut poſitâ malitiâ & contumaciâ Eccleſiæ ſeſe ſubmiſſurum, aut reliquos omnes adverſus ipſum inſurrecturos; Ubi autem ſatìs habet impietatis, audaciæ, ac potentiæ ad commovendam multitudinem, aut hanc ipſam jam criminum complicem numerat; nulla rigoris ſperanda utilitas, cujus potiùs prævidetur aſpernatio, quàm formido. Adeò non

emendabit inveterata illa vitia, ut magìs obduret impios, novis anſam & occaſionem præbeat, ac malum reliquorum omnium facilè maximum, ſchiſma videlicèt, ſuperinducat. Qui in hoc rerum ſitu indiſcreto zelo & rigore in omnia vitia ſævire, illáque etiam ab Eccleſia exſcindere vellet, idem profectò faceret, quod Princeps inſenſatus, qui maximam ſubditorum partem perverſam videns, eos interficiendo, ſtatum ſuum omnem evacuaret, ut nec ſuperſint, quibus imperet.

IX. Non tamen omnis emendationis cura abjicienda eſt, ſed extrema utrinque evitanda ſunt, ne zelus in paſſionem & indiſcretionem, nec diſcretio ac moderatio in ignavum torporem degeneret. Sed zeloſus quisque Eccleſiæ Paſtor authoritatis ſuæ vigore, ubi charitas non proficit, principiis obſtabit, & abuſus recens naſcentes ſollicitè exſcindet, ne radices agere altiores poſſint. Ubi verò antiquati & radicati ſemel ſunt, veluti vir gemituum & deſideriorum coram Deo dudum ingemiſcet, & opportunam quamque occaſionem expectabit, captabitque, ubi vel tribulationibus & calamitatibus publicis paratiores ipſe ſubditos invenerit, vel diuturnis exhortationibus generalibus jam ſatis præparârit, vel ex evidentibus quibusdam abſurdis exortis, de ipſa corruptelarum illarum indignitate pleniùs convictos diſpoſuerit, ut faciliùs Legi illas abroganti ceſſuri prævideantur.

X. Ulteriùs ſicut non ejusdem generis ſunt nævi omnes, corruptelæ, & vitia, quæ in Eccleſiæ corpore occur-

occurrere poſſunt; ità quædam promptiorem, quædam tardiorem medelam exigunt, & quædam tolerantiam nullam admittunt. Exemplum præbent diverſa ſuperſtitionum genera, quæ Eccleſiæ Catholicæ membris ſolent â nonnullis objurgari. Sunt enim quædam corruptelæ, aut inordinationes, quæ vel in uſu pietatis, aut ob ejusdem exceſſum ſolent contingere. Hæ quamvìs improbandæ, ſæpiùs tamen etiam uſque ad opportunius tempus ab Eccleſia ſunt tolerandæ. Graves hac in re ſunt S. Auguſtini querelæ: „Quod autem inſtituitur, (ait *Epiſt.* 119. *ad Inquiſit. Januarii cap.* 19.) præter conſuetudinem, ut quaſi obſervatio Sacramenti ſit, approbare non poſſum; etiamſi multa hujuſmodi propter nonnullarum vel ſanctarum, vel turbulentarum perſonarum ſcandala devitanda liberiùs improbare non audeo; ſed hoc nimis doleo, quòd multa, quæ in divinis libris ſaluberrimè præcepta ſunt, minùs curantur, & tam multis præſumptionibus ſic plena ſunt omnia, ut graviùs corripiatur, qui per octavas ſuas terram nudo pede tetigerit, quàm qui mentem vinolentiâ ſepeliverit." Quantâ verò prudentiâ, quàm lento adjutorio in his emendandis opus ſit, docet idem S. Auguſtinus ad Aurelium Carthaginenſem Epiſcopum de commeſſationibus & ebrietatibus per Africam in Cœmeteriis & memoriis Martyrum ſpecie Religionis frequentari ſolitis, ità ſcribens: „Non aſperè, non duriter, non modo Imperioſo iſta tolluntur, magìs docendo, quàm jubendo, magìs jubendo, quàm minando. Sic enim agendum eſt cum multitudine: ſeveritas autem exercenda eſt in peccata paucorum.

XI.

XI. Alia verò ſunt, quæ aliqua ex parte doctrinam lædunt fidei vel morum, atque adeò vitium nimìs grave, imò crimen in ſtatum Eccleſiæ publicum produnt ac involvunt; & ſicut priora ex ignorantia & ſimplicitate procedunt, ità iſta plerumque malitiam & cupiditatem matrem habent. Huc pertinent, quæcunque per fraudem & mendacium, & ferè ſemper quæſtûs causâ, ab hominibus excogitantur, & venditantur ad commovendam populorum pietatem, trahendúmve ad ſe plebis concurſum, exiſtimationem, & dona. Falſa miracula, falſas Indulgentias, falſas Reliquias, confictas revelationes & viſiones, ſiquis dolo malo ad populum adducat: notiſſimum eſt, hæc ab Eccleſiaſtica Catholicorum diſciplina non ſolùm improbari & vetari, ſed nec tolerari, & potiùs rigidè, ubi deprehenduntur, caſtigari. Barbaris adeò ſæculis nunquam defuêre inter Paſtores, qui & zelo & ſcientiâ præditi hujusmodi præſtigias â grege ſuo averterunt; & ſemper Romanorum præcipuè Pontificum vigilantia ejusmodi corruptelis interceſſit, graviſſimáſque pœnas in Pietatis impoſtores decrevit.

XII. Unde tolerat Eccleſia nonnunquam, tametſi nunquam approbet, alia quædam crimina, quæ ipſam ejusdem doctrinæ puritatem non proximè adeò inficiunt, aut directè impugnant, cùm ejusmodi ea ſunt, ut ſine manifeſto ſcandali aut ſchiſmatis periculo corripi ac tolli non poſſint. Nec approbat autem, nec tolerat unquam hæreſin in ſinu ſuo, tanquam tale tantúmque crimen, quod cum ejusdem doctrinâ authori-

tatem, & ipſa fundamenta ſtatûs publici Eccleſiaſtici â Chriſto conſtituti ſubruit atque evertit ; & idcirco nullam cum Hæreticis ſacrorum communionem retinet, nec eorum cultum internis erroneis ideis conformem in Corporis ſui membris permittit, quin ea reſcindat, atque è medio tollat; eòquòd contrariorum permixtio, veritatis & erroris confuſio, ei ſemper viſa ſit meliorum, ac veritatis, utpote indiviſibilis, defectio, ſicut, cùm virtus vitium recipit, non â vitio, ſed â virtute diſceditur, proùt ſapienter monuit Proſper Aquitanus *de Lib. Arbitr. Hæreſ. pag.* 671. Teſtis ejus Eccleſiæ rigoris eſt Gelaſius Pontifex, *Epiſtola* 1. *ad Euphemium*, qui rogatus ab eodem Euphemio, ut pauliſper cum Acacio & Eutychianis condeſcenderet, & aliquâ Oeconomiâ uteretur ad reſarciendam Eccleſiarum pacem & unitatem, cum Hæreticis minimè condeſcendendum eſſe reſpondit, in verbis: „Optima illa eſt Eccleſiæ Catholicæ atque Apoſtolicæ diſpoſitio, „ad meliora proficiendo condeſcendere, non ad inferiora deſcendendo deficere. Cùm autem dicis, condeſcendere nos debere vobiſcum, interim jam vos aut „deſcendere, aut deſcendiſſe monſtratis. Unde, quæſo, „vel quò iſta deſcenſio eſt? utique ex ſuperiori quodam „loco ad inferiora quæque depoſitio. A Catholica Apoſtolicaque communione ad Hæreticam damnatámque „prolapſos vos videtis, cognoſcitis, non negatis: & „non ſolùm vos in infimis jacere delectat, ſed etiam in „ſuperiore manentes Sede vultis impelli. Condeſcendere nos vobiſcum invitatis ad ima de ſummis: nos „coaſcendere vos nobiſcum rogamus ad ſumma de

„imis." Imò inferiùs addit: eſſe deterius non ignorâſſe veritatem, & tamen communicâſſe (ſcilicèt in Sacris) cum veritatis inimicis. Synodi quoque omnes hactenus celebratæ in Eccleſia, ubi Hæreticos quosdam damnârunt, non hos duntaxat, ſed & reliquos omnes cum his etiamnum communicantes, pari anathemate confixerunt. Nam ipſa Eccleſiæ in ſacris cum illis communicatio eſſet doctrinæ illorum approbatio, & hoc ipſo fidelis & Orthodoxus quisque agnoſcitur, dum ſuam adhuc Eccleſia eidem communionem concedit; indéque communis enatus eſt omnium Catholicorum ſenſus, eò uſque ex duabus quæſtionibus controverſis, utramque vel alterutram citra fidei Catholicæ diſcrimen defendi poſſe, & ad Scholarum duntaxat controverſias pertinere, quouſque adhuc cum utriusque ſententiæ Patronis communionem ſciens retinet Eccleſia: quia nunquam aliàs eam in Scholis licentiam aliter ſentiendi ac publicè & impunè profitendi toleraret.

XIII. Neque mirabitur quispiam hunc Eccleſiæ, Matris aliàs indulgentiſſimæ, ſeverum adeò in Hæreticos rigorem. Siquidem Divinum ſummi Capitis ejusdem Chriſti præceptum eſt *Matth.* 18. *v.* 17. *Siquis Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*, cujus ipſa cuſtos, executrix & vindex eſſe debet. Porrò ipſamet Miniſtra duntaxat eſt, ac diſpenſatrix prudens & fidelis, non autem domina bonorum illorum ſpiritualium, quæ in fideles, tanquam membra unius Corporis myſtici, â Capite Chriſto per influxum gratiarum internum promanant, miniſterio verò externo Eccleſiæ

ex

ex ſola ipſius Chriſti tanquam Domini voluntate ſunt diſpenſanda. Sicut ergò ab his excluduntur Ethnici & Publicani, ità etiam ii ex Chriſti præcepto excludendi ſunt, quos ipſe Ethnicorum & Publicanorum loco habendos eſſe voluit, atque præcepit.

XIV. Nihilominùs jam ſuperiùs Capite V. §. X. breviter animadverſum fuit, eòuſque ſalvâ fidei unitate cum erroneè etiam ſentientibus condeſcendere Eccleſiam poſſe & ſolere, quòd ultimatas ſuas definitiones provido conſilio & morosâ maturitate differat atque ſuſpendat, quando ſperat, mox ſuâ novitate aut ſingularitate errorem illum, ubi magìs eliquatus fuerit, deſiturum, ne ſcilicet illæ intempeſtivè erumpentes errorem minimè compeſcant, quieti tamen Eccleſiæ plurimùm præjudicent: Imò ipſas ſuas definitiones certiſſimas, quas etiam prodere intendit, illæsâ veritate attemperare & mitigare ſubinde ad facilitandam reditûs ſpem, indignum non judicat; id quod Concilium Tridentinum referente Eminentiſſimo Palavicino in ſua Hiſtoria Concilii Trid. *Lib. XXII. Cap. IV. num.* 27. præſtitit, ubi conceptus & paratus jam fuerat Seſſ. XXIV. Canon 7. cum anathemate in eos, qui matrimonium conſummatum ob adulterium diſſolvi docerent; ſed Oratoribus Venetis exponentibus, non modicam inde fore offenſionem Orientali Eccleſiæ, præſertim verò Inſulis Cretæ, Cypri, Corcyræ & aliis locis Reipublicæ Venetæ ſubditis, non ſolùm cum publicæ quietis, ſed cum Eccleſiæ Catholicæ detrimento, & majori Græcorum abalienatione, Canon ille temperatus fuit, & eo,

quo nunc extat, modò reformatus, his ſcilicet verbis: „Siquis dixerit, Eccleſiam errare, cùm docuit & docet, „juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam propter „adulterium alterius conjugum Matrimonium non poſ„ſe diſſolvi, & utrumque etiam innocentem, qui cau„ſam adulterio non dedit, non poſſe altero conjuge vi„vente aliud matrimonium contrahere; mœcharíque „eum, qui dimiſsâ adulterâ aliam duxerit, & eam, „quæ dimiſſo adultero, alii nupſerit; anathema ſit.

XV. Porrò ubi ſuum quoque judicium ac definitiones ultimas circa quæſtionem quandam controverſam interponit, aut ſemel interpoſuit; ad alliciendos magìs diſſentientes, ipſamet rurſus cedere & condeſcendere, ſalvo veritatis Divinæ ſibi concreditæ depoſito, paratam ſeſe oſtendit in ſola diſciplina ac Politia externa, cujus inobſervantia, ſi diſſentientes ad communionem dogmatis redire velint, charitatis & unitatis amore ſæpiùs tolerata fuit, imò, ubi fini huic opportuna & ſufficiens prævidetur, ſemper erit toleranda. Quâ in re etſi vitio plerumque non careant, qui, conculcatis legibus juſtiſſima de cauſa conſtitutis, eò Eccleſiam adigunt, ut de ſuo jure tantiſper cedat; ipſa tamen Eccleſia cedens non ſolùm omni culpâ ſemper caret, ſed prudentiæ quoque laude abundat. Dura fuerant Gelaſii ſuprà citati verba; eò tamen condeſcendere ſe poſſe ſignificavit, ut ordinatos ab Acacio & Eutychianis ſuſciperet, quæ diſciplinæ res fuerat. Quanta fuerit in Græcos, in permittendis ritibus ſuis, Sacerdotum conjugiis, uſu Calicis, & aliis, Concilii Florenti-

ni indulgentia, nemo ignorat. Nec minor Bohemis quoque oblata fuerat, quamvìs ne ſic quidem ipſorum vulneribus inducta ſit cicatrix. Neſcio tamen, an illuſtrius quoddam aliud ejus tolerantiæ Eccleſiaſticæ exemplum & accommodatius afferri unquam poſſit, quàm illud Catholicorum Africæ Epiſcoporum, qui non indignabantur in honore & munere Epiſcopali ſocios & æquales habere Donatiſtas, ubicunque duo Epiſcopi unâ in Urbe ſchismatis causâ antè conſtituti fuerant, dummodo in communionem Catholicæ Eccleſiæ redirent; quanquam id contra Canones, & nonnullis gravi incommodo eſſe, intelligerent. Tacenda hanc in rem non eſt Epiſtola celebris illius Collationis anno CCCCXI. Carthagine celebratæ ad Marcellinum Tribunum data: Ibi. „Epiſcopi propter Chriſtianos po„pulos ordinamur. Quod ergò Chriſtianis populis ad „Chriſtianam pacem prodeſt, hoc de noſtro Epiſcopatu „faciamus. Si ſervi utiles ſumus, cur Domini æter„nis lucris pro noſtris temporalibus ſublimitatibus in„videmus? Epiſcopalis dignitas fructuoſior nobis erit, „ſi gregem Chriſti magìs depoſita collegerit, quàm re„tenta diſperſerit. Nam quâ fronte in futuro ſæculo „promiſſum â Chriſto ſperabimus honorem, ſi Chriſti„anam in hoc ſæculo noſter honor impedit unionem? Similem profectò indulgentiam ſperare potuiſſent Proteſtantes in Germania â Concilio Tridentino; & hodiedum ſperare poſſunt ab Eccleſia, dummodo redeundi ad eandem ſpem non vanam de ſe facerent; & ipſum dogma propterea in diſcrimen non adduceretur, nec Eccleſia erroris â pertinacibus, ùt â Bohemis factum,

 dein-

deinceps argueretur. Hæ enim cautiones etiam hìc adhiberi ab Eccleſia debent, ut, ubi probabilis admodum deſiderati eventûs ſpes affulget, ac ipſum dogma in tuto ſemper conſiſtit, tantùm condeſcendendum ſibi exiſtimet.

XVI. Dolendum profectò eſt, quòd nec iſta indulgentia pervicacium animos mitiget, aut in unitate Eccleſiæ eos retineat, aut jam avulſos ad eandem revocet; ſed ſua illos pertinacia plerumque ulteriùs ad graviora exagitare ſoleat, quemadmodùm febri laborans ſive aureo pretioſóque lecto, ſive culcitræ ſtramentitiæ impoſitus nec hìc, nec illic quietem inveniet, ſed modò in hoc, modò in illud latus lecti ſeſe volutans, non poterit in uno aliquo loco quieſcere, quia quocunque eum comitatur morbus ſuus, nec uſquam ab eo recedit anxia & moroſa febr's. Unde Eccleſia, triſti experientiâ toties deterrita, ſuo potiùs rigori inſiſtit, & non tantùm nullam cum iis ſacrorum communionem retinet, eóſque â ſacro fidelium cœtu, â participatione bonorum ſpiritualium ab Eccleſiæ diſpenſatione pendentium excludit; ſed, quod plus eſt, vult quoque fideles ſuos ab eorundem familiari converſatione ac civili commercio in profanis abſtinere, juxta illud Apoſtoli Joannis *Epiſt.* 2. *v.* 10. *Siquis venerit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis: qui enim dicit ei Ave, communicat operibus ejus malignis;* eo ſcilicet fine, ut fideles fidelitatem ſuam Deo magìs probatam facerent, ſuam ſalutem periculo non exponerent, & â contagio vitiorum ac errorum cautiùs præſervarentur; at-

que vel maximè, ut ſalutarem errantibus illis fratribus afferrent confuſionem, quæ in erroris tandem ſui agnitionem & emendationem eos deduceret.

XVII. Verùm hoc præceptum ſoli Apoſtoli, tanquam Paſtores & Rectores Eccleſiarum, ultra Chriſti verba ſuperaddiderunt, eorúmque Succeſſores Pontifices & Epiſcopi ſucceſſu temporis latiùs extenderunt. Attentis enim Chriſti verbis ſuprà laudatis ſola illa communio deneganda eſt Hæreticis, quæ Ethnico & Publicano negatur, quibuscum tamen in civili commercio, aut communi ſive politicâ converſatione communicare adeò non vetuit, ut ipſe cum iis ſæpiùs, obmurmurantibus fruſtrà Scribis & Phariſæis, manducâſſe & bibiſſe legatur. Unde & hæc Hæreticorum in civilibus â reliquo fidelium cœtu excluſio, & fidelium ab eorundem conſortio profano abſtìnentia ſicut non Juri Divino, ſed humano & Apoſtolico adſcribenda, ità & tota res eſt non dogmatis, ſed meræ diſciplinæ, ideóque per ipſam Eccleſiam ex cauſis utilitatis aut neceſſitatis, quæ ſuprema lex eſſe debet, ubi nimirùm ex communionis hujus denegatione magìs exulcerari eosdem, & majus fidelibus incommodum, ſibi verò periculum imminere videt, poteſt diſponi variè atque mutari; quid? quòd mutationem in his non exiguam pro diverſitate temporum interveniſſe, atque Eceleſiam condeſcendiſſe, non eſt dubium; quamvìs magno ſemper cum moderamine, ſecundùm prudentiæ regulas, ne per amplam nimis & extenſam latiùs in civilibus quoque communionem errorem ipſum unquam approbâſſe, aut eos in ipſam Societatem Eccleſiaſticam fide-

fidelium admiſiſſe videretur, aut propiori ſubverſionis periculo ſuos exponeret, aut Hæreticis ſeſe extollendi, ac fideles orthodoxos opprimendi anſa & potentia ſuppeteret.

XVIII. Quam ob rem ſi Eccleſia ipſamet, velut pientiſſima & indulgentiſſima Mater, quoad civiles ejusmodi effectus condeſcendere cum Hæreticis tanquam filiis rebellibus poſſit, & quandoque, amore pacis & ſalutis ipſorum promovendæ ſtudio, â rigore Diſciplinæ ſuæ utut ab Apoſtolis traditæ recedere ſoleat: Nihil ſanè & Principes, velut Advocati & Tutores Eccleſiæ, prudentiſſimis ejus maximis adverſum moliuntur, dum & iidem civilem ſocietatem iis indulgent, qui ab Eccleſiaſticâ unitate ſeſe ſeparârunt, et, quod majus eſt, ipſum etiam eorum cultum externum & Religionis exercitium in Republica ſua legibus quoque publicis permittunt. Si enim illi tantùm Eccleſiæ Canones exequantur, ac Leges Politicæ in materia Religionis Canonum pediſſequæ meritò dicantur; eorum ſic quoque prudentiam juſtiſſimè imitantur, atque in iis cedunt, in quibus Eccleſia ſaltem cedere poteſt, quamvìs difficulter & magna cum cautela ac moderatione ſoleat. Largiores etiam Principibus eſſe licet, utpote quorum agendi ratio multùm ab Eccleſiaſtica in his eſt diverſa: Nullum penes hóſce periculum ſubeſt, ne liberalior eorum cum Hæreticis ceſſio aut condeſcendentia in approbationis ſpeciem â fidelibus trahi poſſit; ſed notum ſatìs perſpectúmque ſibi fideles omnes habent, interna Religionis ad eos nequaquam pertinere, nec ullum Principem Orthodoxum toleran-

lerantiæ cujuſdam civilis conceſſione, de Religionis doctrina ac veritate judicandi, ſtatuendi, eámque vel ùt ſalvificam approbandi, vel ùt falſam ac erroneam authoritate propriâ condemnandi poteſtatem ſibi ſumere. Eccleſia verò vel in civilium aut temporalium quoque bonorum, quæ ex ſola ipſius diſpenſatione pendent, participatione iis concedenda veretur, ne per hanc in Societatem Eccleſiaſticam admiſſi videantur, atque, dum Principes in extendenda & amplianda civili Hæreticorum communione liberaliores ſe exhibent, modeſtè intercedit, non tam ut eam Principum conceſſionem, ſuis veſtitam conditionibus, penitus improbet atque irritet, quàm ut ſcandalum puſillorum, ex ipſo ſilentio Eccleſiæ tacitam approbationem forſan inferentium, prævertat: Cœterùm permittit tamen in favorem fidelium, ut his tutò & ſalvâ conſcientiâ cum iiſdem in Republica profana & per Leges Politicas toleratis, dummodo non in crimine, communicare liceat.

XIX. Sed vel inde in aprico eſt, difficiles eſſe debere pios quoſque Magiſtratus in eadem tolerantia, præſertim Exercitii externi Religionis falſæ, concedendâ, ubicunque impedire poſſunt, atque ea impediendi facultas iis non fuerit legitimè reſtricta, aut adempta. Cùm enim teneantur velut Advocati Eccleſiæ omnibus modis Dei cultum ac honorem, unitatem Eccleſiæ, fidei veritatem, ac ſubditorum ſalutem tueri, atque eò authoritatem ſuam divinitus conceſſam impendere; id ſi omittant, ubi poſſunt, Hæreticis favere, & communicare in crimine ipſo videntur. Multò magìs inſuper externum falſarum Se-

ctarum exercitium impedire tenentur, quia magìs ſaluti aliorum ſubditorum Orthodoxorum nocet, ac ſcandalum pernicioſius parit; Juſtiùs quoque ſine dubio impedire poſſunt, propterea quòd externus cultus â liberæ voluntatis arbitrio Legibus humanis obnoxio propiùs pendeat, pacem externam Eccleſiæ Principibus, quaſi Epiſcopis externis, maximè commendatam arctiùs afficiat; & ipſa Reipublicæ profanæ tranquillitas cultûs externi unitate plurimùm promoveatur, diverſitate verò non leve patiatur detrimentum, aut ſaltem periculum, ubi cœtibus vel privatis vel publicis eadem ſeſe exerit. Et inde ipſa jam Lex XII. Tabularum, quæ ex antiquiori Solonis Lege deſumpta fuerat, & hodie â Cajo exſcripta *in L. ult. Cod. de Collegiis* extat, cœtus, conventus, fraternitates, congregationes, ſive Collegia etiam Religionis causâ prohibuerat, quæ & ſub Chriſtianis etiamnum Imperatoribus in viridi adeò obſervantia viguit, ut nec ipſi Epiſcopi Catholici abſque præviâ horum permiſſione, conſenſu, licentiâ, vel authoritate in Synodos coire integrum ſibi vel habuerint, vel ſumpſerint.

XX. Arbitraria itaque neutiquam eſt Principibus Orthodoxis falſæ Religionis cujuscunque tolerantia. Unde, quamvìs multum Reipublicæ profanæ utilis videatur, ubi tamen impediendi vires ſuppetunt, nunquam ob quæcunque bona temporalia & emolumenta politica, aut etiam metu amiſſionis, vel ſpe acquiſitionis Regnorum & Provinciarum erit indulgenda. Cùm nihil in mundo tanti ſit, cujus causâ Religio tolli, alterari,

aut

aut dividi poſſit. Religio certè, quia circa Divina verſatur, Divinum quid in ſe eſt, & Veritati æternæ innititur; omnia humana & temporalia, tanquam res longè inferioris ordinis, poſtponi potiùs debent Religioni, tanquam bono ordinis Superioris, quàm iſta illis ſubordinari. Nullius enim cenſebitur injuria, cui Deus antefertur. Pſeudopoliticæ Machiavelliſtarum, aut non multò his meliorum eæ eſſent ſuggeſtiones atque conſilia, quæ Religionem Regionis quaſi ſervam atque mancipium efficerent; Paulus verò V. Pontifex maximus nequaquam Politici ſolœcismi, aut ignorantiæ Syſtematis Imperii Romano-Germanici arguendus, ſed ſanæ Theologiæ potiùs gnarum ſe probavit, dum requiſitus ab aliquibus Principibus Catholicis nunquam adduci potuit, ut facultatem illis concederet, ex quocunque ſive emolumento merè temporali ſperando, ſive detrimento ejusmodi vitando libertatem Religionis permittendi.

XXI. Sola econtrà neceſſitas aut jactura veræ Religionis unica eſt ratio indulgendæ Religionibus ab hâc diverſis tolerantiæ, ac Exercitii Libertatis. Ubi nimirùm cum ratione Statûs & Regionis ipſa Religionis Orthodoxæ cum eadem arctiſſimè connexæ neceſſitas concurrit, quarum neutra alteram deſtruere unquam debet, aut ſalvâ ſuâ incolumitate poteſt; tum velificandum eſt Magiſtratui, cùm videt homines nec flecti poſſe, nec frangi debere cum detrimento Religionis, & piorum, patriæ vaſtatione, exitio Reipublicæ. Neceſſitate hâc exigente nequaquam hæreſi fave-

re, aut illam probare, ſed potiùs Orthodoxæ Religioni patrocinari, eámque pro ſuo munere tueri, credendus erit. Siquidem ipſa rectæ rationis arcana, ſanæ Politiæ regulæ, imò & Chriſtianæ prudentiæ Oeconomia, Patrum ſcita, ac Theologorum conſilia dictant, tum tolerari diverſas poſſe, imò debere, ubi majus malum Orthodoxæ Religioni ipſi aliter ineluctabile timetur, quàm Libertas aliarum cauſare valeat. Nam inter duo mala, quorum utrumque vitari nequit, rectiùs eligitur, quod minus eſt. Majus autem ipsâ hæreſi, aut potiùs hæreſeos permiſſione malum utique habetur, quando vera Religio in totum in Regno periclitatur. Hujus manifeſto periculo illius conatus haud dubiè ſunt diſſimulandi. Ac dimidium hìc ſæpè plus toto eſt; qui autem totum quærit, totum perdit. Quandonam verò indiſpenſabilis ejusmodi neceſſitas ſubſit, id cùm ex facto potiſſimùm & circumſtantiis particularibus pendeat, Summorum Principum ac Magiſtratuum conſcientiæ, quam utique timoratam eſſe oportet, ſæpè eſt committendum, qui ſicut Reipublicæ ſuæ ſtatum, ſuas vires, Adverſariorum potentiam ac numerum optimè explorata habebunt, ità neceſſitatem illam metiri exactiùs, & an, quid, & quantum tempori & tempeſtati cedendum ſit, propiùs & penitiùs agnoſcere poterunt. Porrò neque ſola hìc impotentia attenditur; ſed etiam, ubi potentia ac poteſtas Principi vel maximè ſuppetit falſam Religionem ſupprimendi, ejus tamen tolerantia permittenda erit, ut vera, majori communis ſalutis aliorum Orthodoxorum alibi quoque degentium, & Ec-

cleſiæ univerſalis bono, conſervari poſſit, absque hoc indulto ſimul & ſemel aliàs certiſſimè extirpanda.

XXII. Hoc in principio Chriſtianæ prudentiæ fundata fuerat illa Conſtantini Magni & aliorum Chriſtianorum Imperatorum in Ethnicos Chriſtiano nomini infenſiſſimos indulgentia; ne ſcilicèt eorum, multitudine adhucdum prævalentium, furor intempeſtivè exacerbatus cum Regione & Imperio ipſam quoque novellam Religionis Chriſtianæ plantationem funditùs exſcinderet; quanquam inſuper nulli muneris ſui parti in propaganda hac & tuenda deeſſent. Everterunt ii partim, partim in meliorem quoque Chriſtiani cultûs uſum converterunt templa Gentilium permulta, non diurna modò, ſed & nocturna eorum ſacra prohibuerunt. Sed ad Urbes tantùm ea prohibitio primitùs pertinebat; permiſſa verò in pagis & vicis ad tempus etiamnum fuerant inviſa illa Chriſtianis ſacra, ruri templa aliquamdiu Gentilibus patuêre, unde Paganorum nomen enatum eſt primùm auditum ſub Imperatoribus Chriſtianis, quòd, urbanâ ſuperſtitione eliminatâ, pagana ſolùm iis relicta fuerit. Magìs ea indulgentia eluxit, poſtquàm â Juliano Apoſtata, Idololatriæ ac Superſtitionis Ethnicæ reſtauratore, Gentilismus Urbibus ac ſibi reſtitutus novas vires reſumpſerat, ac reddita fuerant Gentilibus templa, ſacrificia, ſacra omnia. Inde accidit, ut Succeſſores Juliani in pluribus ſuperſtitionibus connivere rurſus neceſſum ducerent. Hinc Religionum quædam libertas unicuique facta per Jovinianum, Valentinianum Seniorem, Valentem, Gratianum uſque ad Theodoſii

Magni conſtitutiones. Sub hoc enim adhuc ſtetiſſe in Urbibus majoribus templa Gentilium, teſtis eſt Libanius *Oratione pro Templis ad Theodos. M.* Imò & Summæ Dignitates Conſulum, Præfectorum Prætorio & Urbis &c. in eos collatæ memorantur, de quibus pluribus ex Symmacho, Libanio, & Conſtitutionibus ipſis Jacobus Gothofredus *ad Codicis Theodoſ. L. 7. de Pagan. Sacrific. & Templ.* Nec minor, imò major etiam Judæorum tum libertas fuerat, quibus & ſuæ Dignitates, ſuíque Ordines remanſerunt diu ſuperſtites, Patriarchæ, Primates, Archi-Synagogi, Presbyteri, Synedria, Synagogæ. Quin hodiedum ubi Religio Chriſtiana nihil prorſus habet, quod â gente iſta ſibi metuat, Chriſtiani Principes eandem tolerandi cauſam juſtam Religionis Chriſtianæ bonum exiſtimant, quòd ritus illorum Evangelicam veritatem figurâ adumbrent, eíque veritatis teſtimonium perhibeant. Arcano enim Divinæ providentiæ conſilio id factum fuiſſe, ne Gens illa prorſus deleretur, ſed tanquam veritatis ac Juſtitiæ Divinæ exemplum toto orbe diſpergeretur, ait Hipponenſis Præſul *Lib.* XII. *contra Fauſtum Cap.* 23. Ibi. „Quid eſt „aliud hodie gens iſta, niſi quædam ſcriniaria bajulans „Legem & Prophetas ad teſtimonium aſſertionis Eccle„ſiæ, ut nos honoremus per Sacramentum, quòd nun„tiat illa per litteram.

XXIII. Hæreticorum porrò tolerantiam iisdem ex cauſis indultam ipſimet quoque Præſules Eccleſiaſtici laudârunt, imò & ſuis conſiliis ac precibus apud Chriſtianos Imperantes interpoſitis promoverunt. Duo inſtar

ſtar omnium exempla huc refero. Unum conſtat nobis ex Anaſtaſio Bibliothecario in vita Joannis I. Pontificis Romani de anno DXXIII, ubi refert eundem Joannem, nuntiato ſibi Theodorici Regis propoſito de tota Italia igne & ferro extinguenda, niſi Juſtinus Imperator in Oriente Arianis exercitia ſua permitteret, Legationem ad Juſtinum ſuſcepiſſe, & ab illo impetrâſſe permiſſionem Arianorum, quos tamen *Summo* (ùt loquitur Anaſtaſius) *ardoris amore Religionis voluerat extirpare.* Alterum habetur apud Sozomenum *Lib. III. Cap.* 19. & *Theodoret. Lib. II. Cap.* 12. ubi Athanaſius, fidei Catholicæ & Conſubſtantialitatis Verbi Divini defenſor acerrimus, non tantùm Antiochiæ, ſed & in omnibus aliis civitatibus (teſte Socrate *Lib. II. Cap.* 18.) ubi ſoli Ariani templa tenebant, templa Orthodoxis impetravit, concedendo ſcilicet viciſſim, quantum in ſe fuerat, templa Arianis Alexandriæ, & ubicunque ſoli Orthodoxi obtinebant. Hoc Athanaſii reſponſum Imperatori Conſtantio datum, ùt promptum & acutum â Socrate laudatur, & ùt *â Deo ſuggeſtum* â Ruffino *Lib. X. Cap.* 19. Erat enim omnis poteſtas & potentia penes Conſtantium Arianis haud parùm faventem, qui Orthodoxis omnia templa adimere, & Arianis omnia attribuere potuiſſet. Præſtare ergò Epiſcopis videbatur, templa ab Orthodoxis retineri, quæ habebant, & de novo illis aperiri, quæ non habebant, cum tolerantia Arianorum, quàm omnia perdere, & Arianis omnia relinquere.

XXIV. Verùm merè gratioſa fuit hæc plerorumque, & hodiedum Judæorum eſt tolerantia, non quaſi arbitraria prorſus fuerit aut ſit Principum & Imperantium in ea concedenda voluntas, ſed quòd ex libera eorundem voluntate dependeat, Jus perpetuum nullatenus tribuat. His ſemper integrum fuerat eorum cultum moderari legibus ſuis, ac vel majorem libertatem indulgere, vel conceſſam coarctare, imò & prorsùs denegare ac revocare, ubi id conſultum, & è re Reipublicæ videbatur. Quid? quòd mutato caſu neceſſitatis, aut evidentis boni veræ Religionis, ſua quoque conſilia mutare non tantùm poterit Magiſtratus, ſed & tenebitur, maximè ſi in contumeliam Salvatoris, in periculum ſubverſionis fidelium cedere incipiat. Ità ſanè Conſtantius Lege latâ, quæ eſt Lex 6. de Paganis, in dantes operam Sacrificiis & ſimulacris pœnam Capitis conſtituit, quam poſteà Theodoſius circa annum CCCLXXXI. innovavit, quo tempore templa omnia ac delubra Paganorum occludi juſſa, Sacrificia interdicta, ſimulacra everſa, ritus omnes, omníſque Deorum cultus exulavit. *L. 7. Cod. eod. Tit. & ſeqq.* Judæorum verò tolerantia etiam ſub Carolingicis Imperatoribus conceſſa, eorúmque Capitularibus apud Baluzium *Tom. I. Capitular.* relatis firmata, poſthac ſub Saxonicis Imperatoribus nonniſi interruptis haud raró viciſſitudinibus continuari potuit, ità quidem, ut Judæi ſe viles, contemptibiles, & quaſi conditioni ſervili adſtrictos eſſe, meminiſſe in omnibus deberent. Quâ ratione & ſemper illos habendos eſſe, mens, canon, & praxis ipſiusmet Eccleſiæ ſatìs conteſtantur.

XXV.

XXV. Interim quousque ea, etiam gratioſa, indulta eſt, â perſecutionibus ſecuros reddit, â pœnis eximit, privatorum calumnias & injurias cohibet, ac pacis civilis munere beat. Et cùm Religioni dominanti addicti omnia ſibi permiſſa ſub prætextu illius perperàm credant, ac zelo ſuo non alios, quàm paſſionis ſuæ ac odii irrationabilis, limites ſtatuant, modúmque; ad prudentiam Imperantis pertinet, exceſſus illos reprimere, tranquillitatem publicam fovere, ac zelum indiſcretum, imò crudelem Legibus coërcere. Extant hac de re Leges quàm plurimæ contra violatores latæ in *Codice Theodoſiano Tit. de Judæis*, quarum quædam in *Cod. Repet. prælect.* eodem Titulo relatæ conferri merentur; quas inter *Lex* 14. *Cod. eod. Tit.* ità cavet: „Nullus tanquam Judæus, „cùm ſit innocens, obteratur, nec expoſitum eum ad contu„meliam Religio qualiscunque perficiat: non paſſim eorum „Synagogæ, vel habitacula concrementur, vel perperàm ſi„ne ulla ratione lædantur, cùm alioquin, etiamſi ſit aliquis „ſceleribus implicitus, idcircò tamen judiciorum vigor, ju„rísque publici tutela videtur in medio conſtituta, ne quis„quam ſibi ipſi permittere valeat ultionem. Sed ut in hoc „perſonis Judæorum volumus eſſe proviſum: ità id quoque „monendum eſſe cenſemus, ne Judæi forſitan inſoleſcant, „elatíque ſuî ſecuritate, quicquam præcipites in Chriſtia„nam reverentiam ultionis admittant.„ Quorsùm & pertinet *Lex* 6. *Cod. de Pagan. & Sacrif. & Templ.* ubi ità ſtatuitur: „Chriſtianis, qui verè ſunt, vel eſſe dicuntur, ſpecialiter de„mandamus, ut Judæis ac Paganis quietè degentibus ni„hilque tentantibus turbulentum, Legibúsque contrarium, „non audeant manus inferre Religionis auctoritate abuſi.

„Nam ſi contra ſecuros fecerint violenti, vel eorum bona „diripuerint; non ea ſola, quæ abſtulerint, ſed convicti „in duplum, quæ rapuerint, reſtituere compellantur. Re„ctores etiam Provinciarum, & Officia & Principales co„gnoſcant ſe, ſi non ipſi talia vindicent, ſed fieri â popu„laribus hæc permiſerint; ùt eos, qui fecerint, punien„dos.

XXVI. Alia prorſus eſt Tolerantiæ neceſſariæ indoles, favor uberior, Jus amplius. Atque ea dicitur, quæ non ex libero Imperantis arbitrio pendet, ſed vel ex pacto quodam publico undequaque legitimo, vel ex publica Lege Principem ipſum obligante deſcendit. Hæc enim ità ſtringit Domini poteſtatem, ut quamvìs Religio illa, cujus Libertas ſubditis indulta fuit, â Domini moribus ac inſtituto planè abhorreat, eámque improbet, ſubditis tamen liberum ejus uſum ſecundùm modum & limites ibidem præfixos indulgere, & eos patienter ferre neceſſariò debeat, nec in eodem impedire poſſit. Atque ea vel Temporaria erit, ſi Lege vel conventione merè proviſoriâ ad tempus conſtituta; ſi verò Lege perpetuò valiturâ conceſſa fuerit, & ipſa perpetua erit. Nam & hanc concedi poſſe, quid repugnet? Si enim ex gravi causâ ad certum & definitum tempus eam permittere illicitum prorſus non ſit; urgente graviori causâ neceſſitatis, cui aliter conſuli nequeat, eandem concedere Principes non prohibentur; quæ tamen perpetüitas cùm humanitus data ſit, alia etiam quàm humana & caduca eſſe nequit, qualis aliis quoque pactis & Legibus humanis ineſt, ut ſcilicet ſemper obliget,

niſi & altera pars infractâ fide juſtam reſiliendi cauſam dederit.

XXIII. Unde perpetua, ſemel tempore ſic ferente & neceſſitate ineluctabili exigente conſtituta, inviolatè quoque ex ipſis Juris Naturalis & Divini principiis erit ſervanda, & adeò liberum aliàs Advocatiæ ac Tutelæ veræ Eccleſiæ Jus Principi commendatum adſtringet, ut nec rebus Religionis Catholicæ in meliorem ſtatum reſtitutis, & pævalente rurſus Catholicorum potentiâ, ab ea recedere ſit permiſſum. Siquidem fides data, præſertim publica, etiam Hæreticis, imò & infidelibus queiscunque eſt ſervanda. Eò collimabat aurea illa Caroli V. Imperatoris ſententia: *Fides rerum promiſſarum, etſi toto mundo exularet, tamen apud Imperatorem ſalva conſiſtere deberet.* Neque Catholici ſaniores unquam imputari ſibi patiuntur, tam exiguam ſe fidei publicæ Hæreticis datæ reverentiam habere, ut eam vel tutâ conſcientiâ infringere, vel irritatione, aut diſpenſatione Pontificiâ eâdem ſe eliberari poſſe credant. Ejus ſententiæ ſuſpicione Patres Societatis JEſu ſatìs purgare videntur Laymann. *Theol. Moral. Lib. II. Tract. III. Cap.* 12. Molan. *Tract. II. Theol. Pract.* 1. Et *Lib. III. de Fide Hereticis ſervanda Cap.* 14. Dicaſtillo *de Jure & Juſtit. Lib. II. Tract. I. Diſp.* 10. *dub.* 16. §. 9. Becanus aliíque. Atque de fide infidelibus ſervanda idem Dicaſtillo ſpeciosè ſatìs loco cit. *n.* 447. ſcribit, non poſſe Pontificem ne indirectè quidem publicum ejusmodi fœdus relaxare. Fundamentum eſt, *inquit*, quia id vergeret in detrimentum & contemptum Eccleſiæ Catholicæ, cui nihil

tam fœdum & turpe, quàm fidem publicè datam frangere, & fœdera poteſtate legitimâ inita violare. Unde ſi fortè contingat, ut fœdus ſic initum cum infidelibus comperiatur poſteà in grave detrimentum Eccleſiæ redundere, ſatius erit, imò omninò neceſſarium, hujusmodi detrimentum pati, quàm indignum illud perfidiæ remedium, quod tunc ſanè remedium non eſt, turpiter adhibere, ſperando interim & petendo â Chriſto Domino tanti mali remedium, ob cujus honorem & Eccleſiæ gloria ſarta, tectáque fides omnino ſervatur. Fides enim Societatis humanæ vinculum eſt, quo rupto nulla Societas durabit, cùm bellis & contentionibus perpetuis, nec ullâ poſthac viâ terminabilibus, ſic plena futura ſint omnia. Palladium ſecuritatis Gentium ſunt pacta; ab his autem ſi intuitu Religionis tam facilis eliberandi ſeſe via pateat, aut aperiatur; nullum poſthac ſupererit Religioni Catholicæ in extremis ſuccurrendi, aut controverſa Religionum negotia ad profuſionem ſæpiùs ſanguinis homines ſtimulantia componendi remedium, ſicque in univerſum damnoſa exiſtet, quæ fortè in certo caſu particulari multum lucri afferre videtur, perfidia.

XXVIII. Hæc ipſa verò, utut neceſſaria, tolerantia ſuæ indolis limites non egreditur, nec nunquam eò uſque ſe extendit, ut Religiones ab unica vera alienæ approbentur; Siquidem tolerare idem ſemper intelligitur, ac ferre patienter, & non reſiſtendo aut contradicendo permittere, quidquid nobis adverſum, ingratum, malúmque videtur, quod tamen removere vel ob defectum virium non poſſumus, vel pro ſtatu præſenti rerum haud conſul-

ſultum ducimus. Quapropter Princeps eandem indulgendo certis Religionibus, nequaquam eas velut veras, divinitus revelatas, ſalvificas, & ad ſalutem æquè perducentes approbat, ſed tanquam falſas, & erroneas in fundo cordis etiam improbat. Eum ſolum dicta tolerantia habet effectum, ut liberè permittatur publica illarum profeſſio & cultus externus, nec ullis pœnis, aut vexationibus in alias Religiones non toleratas Jure communi ſtatutis impediatur: Subditorum verò conſcientiæ illud, quod eâ profeſſione ſubeunt, animarum periculum committitur, ac utilis illa Principis, eosdem ſalutarium pœnarum terrore ad unicam veram revocandi, cura ex Jure Advocatiæ profluens, ac authoritativa ſeveraque ſubditorum charitas ſiſtitur ac vinculatur.

XXIX. Interim cùm & iſta ſuos gradus habeat; eò uſque etiam abſque peccato, aut alieni peccati participatione, evidenti Religionis veræ neceſſitate ità exigente, indulgeri & ità qualificari â Principe poterit, ut Religiones erroneæ hâc receptæ ex æquo cum illa, quæ aliàs â Principe tanquam vera approbatur in Republica & fovetur, Jura omnia, imò & privilegia Juris communis participent, & in effectu Juris pari prorsùs paſſu cum eadem ambulent, ut, quod veræ Religioni ipſius Principis, inde dominanti dictæ, æquum eſt, & toleratis ejusmodi cenſeatur juſtum. Quamvìs enim memorata hæc falſarum cum unica vera in omnibus parificatio approbationis ſpecies quædam non nemini meritò videri poſſit; hæc ipſa tamen rurſus effectus civiles, forenſes & politicos neutiquam excedit, ad forum verò internum

nequaquam pertingit, nec ullam controverſarum quæſtionum, quas Religio parificata diverſas tenet, deciſionem, ac dijudicationem includit. Lex denique ipſa, aut publica illa tolerantiæ ad hunc usque gradum extenſæ conceſſio neutiquam velut regula & norma credendi exponi attentatur, ſed potiùs ſubditis Religioni Domini vel â toleratis diverſæ addictis normam præbet, cum toleratis, velut concivibus pari jure, honore, & famâ gaudentibus, comiter & pacificè vivendi & cohabitandi, ut, quamvìs inter eos Religionum ſit diſſenſio, unio tamen civilis conſtans ſemper & perennis conſervetur.

XXX. Porrò cùm notum ſatìs & experientiâ quotidianâ comprobatum luculenter exiſtat, nihil magìs civium animos dividere, quàm Religionum diverſitatem, & ejus zelum eò quandoque ſubditos impellere, ut cum diſſentientibus non religiosè, ſed furiosè agant, aut contra Leges ſalubriter pacis causâ conſtitutas ſe invicem viâ facti aut injuriâ quacunque turbent, ac infeſtent; unde ſicut aliarum legum tuendarum, ità & Legis tolerantiæ ſemel legitimè ſancitæ cura atque protectio ad Principem pertinebit. Siquidem non tam falſam Religionem, quam ex dictis ſemper improbat, defendit, quàm ſuam potiùs authoritatem publicam & fidem in conventione, aut Lege, quâ conſtituta eſt tolerantia, ſancitam directè & immediatè tuetur: quæ tutela omnis ad quietem & tranquillitatem publicam Reipublicæ civilis rurſus tota pertinet, eúmque in finem unicè tendit, quò inter ejusdem pariter ac diverſæ Religionis ſocios concordia ob-

& con-

& conſervetur, aut læſa potius reſtauretur, vexationes econtrà, aliæque injuriæ ſive per externam vim & oppreſſionem, ſive ſcriptis, ſive verbis, aliisve modis inferri aliàs ſolitæ evitentur, atque illatæ pro meritis coërceantur; exortæ porrò inter eos controverſiæ per amicæ compoſitionis aut legitimos juris ac juſtitiæ tramites, procul omni partium ſtudio, celeriter definiantur & complanentur, eâque ratione legum publicarum ſanctiones ubique cuſtodiantur.

XXXI. Cœterùm attendendum in his omnibus eſt orthodoxo Principi, quòd nec tolerantia, nec ejusdem protectio hactenus aſſerta excludere unquam debeat, aut poſſit curam conſervandi propagandique veram Religionem, quam Jure Divino & Eccleſiaſtico ipſi demandatam eſſe ſupra aſſeruimus. Hæc enim indivulsè adeò ſummæ in Republica poteſtati cohæret, ut ſeparari ab ea penitus non poſſit. Et quantumvìs tolerantia publica eatenus illi limites ponat, ut cum deſtructione, ac extirpatione, aut turbatione aliarum diſſentientium exerere ſe nequeat; his tamen ſalvis, & absque ullâ earum injuriâ, ſummâ virium contentione eò anniti & poterit, & debebit, ut mediis queiscunque innoxiis, directis & indirectis, ſuam præferat, conſervet, atque latiùs quoque diffundat.

XXXII. Denique nec ipſius tolerantiæ limites ultrà, quàm par eſt, extendendi: utì monet inter Proteſtantes Doctores Buddeus *in Theol. Morali Parte 2. Cap. 3. Sect. 7.* §. 21. Tolerandi ſunt diſſentientes, ità tamen, ut veritati inde nullum creetur periculum, & qui noſtræ

ſtræ curæ concrediti ſunt, in diſcrimen amittendæ ſalutis æternæ non conjiciantur. Tolerandi ſunt, non tamen ſtatim facultas, impiè & pro lubitu errores diſſeminandi, & alios ſeducendi illis eſt concedenda: tolerandi ſunt, ſimul tamen in viam veritatis eâ, quâ decet, ratione revocandi. Dabit ergò operam, quantum fieri poteſt, quisquis Imperii habenas tenet, ut veritatis & charitatis communionem in Religione vel ſartam tectam ſervet, vel ex zelo ſecundùm ſcientiam & prudentiam eandem inter ſubditos reducat; libertatem verò effrænem ultrà terminos Reipublicæ & Eccleſiæ poſitos evagari non patiatur, quò non tantùm eos beatos in civili vita, ſed etiam æternæ beatitudinis faciat conſortes.

Atque hæc deducta hactenus ſunt ex ſolius veritatis ſtudio ſine ulla charitatis offenſa, neque extra ſphæram Sacrorum Canonum, ſecundùm quos Eccleſia non minùs circa credenda, quàm agenda, in ſalutis æternæ negotio tam ſacra ſua judicia, quàm ſacrum imperium explicat, ſub cujus cenſura diſſertatum eſt

TANTUM.

POSITIONES EX OMNIGENO JURE.

EX JURE NATURALI.

I. JUS NATURALE *eſt ordinatio Divinæ Sapientiæ neceſſaria, creaturæ rationali per rectam rationem intimata, præcipiens agenda, quæ rectæ rationi ſunt conſentanea, quæ verò diſſona, prohibens.*

II. *Principium ejus in eſſendo eſt voluntas Dei, in cognoſcendo humana ratio;*

III. *Non tamen ſola in ſtatu Naturæ lapſæ, ſed principiis revelatis adjuta.*

IV. *In Lege Nova Chriſtus nova præcepta moralia non addidit, ſed ea accuratiùs, quàm Moyſes explicavit, illuſtravit, ac confirmavit, indéque Lex Naturalis verè Divina & Evangelica evaſit.*

V. *Eccleſiæ judicium in morum, ſeu Juris Naturæ controverſiis non minùs, quàm in iis, quæ ad fidem pertinent, certum eſt, ac erroris immune.*

VI. *Nullam mutationem, diſpenſationem, aut Epikiam ſive interpretationem propriè dictam idem Jus admittit.*

VII. *Habet homo pro ſuî conſervatione jus propulſandi vim injuſtam, ſeu aggreſſorem vitæ, ſervato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, occidendi.*

VIII. *Solius econtrà famæ aut honoris defenſio cauſa ſufficiens non eſt cum propriæ aut alienæ vitæ periculo in arenam gladiatoriam deſcendendi.*

IX. *Falſiloquium non minùs, quàm mendacium Juri Naturæ ſimpliciter repugnat.*

X. *Eidem quoque abſolutè adverſatur Polyviria, non ſic Polygamia.*

XI. *Nec Jure merè poſitivo, ſed itidem Naturali vetita eſt fornicatio.*

XII. *Ad idem pertinet pravitas uſurarum.*

EX JURE GENTIUM, ET PUBLICO UNIVERSALI.

I. J*US GENTIUM diuturnis moribus in bonum commune Gentium liberarum ac civitatum â ſe invicem independentium cum reciproca obligatione eſt introductum;*

II. *Quod veluti â Jure Naturæ adæquatè diſtinctum Juribus potiùs poſitivis annumeramus.*

III. *Per Legem Evangelicam nihil huic decerptum eſt; unde & Supremi inter Chriſtianos Imperantes nullius in terris poteſtati quoad temporalia ſubſunt.*

IV. *Præſcriptio utì eſt ſalutare Gentium præſidium, ità meritò inter Liberas Gentes locum obtinet, utut determinationem & formam â Jure Civili habeat.*

V. *Pacem ſemel initam neque læſionis, neque vis & metûs exceptio infirmare poteſt.*

VI. *Valet inita etiam cum Subditis rebellibus, nec fides data*

ta hoſtibus, etiam Hæreticis & infidelibus, frangenda eſt, niſi hi conditiones fœderis ipſi infregerint.

VII. *Bellum etiam Chriſtianis licitum eſt.*

VIII. *Contra Infideles autem præcisè ex capite Religionis Chriſtianæ ſuſceptum eſt Juri Gentium contrarium.*

IX. *Sola æquilibrii conſervandi ratio, aut præciſa alterius Gentis præpotentia non eſt juſta belli gerendi cauſa.*

X. *Neque denegatio Juris imperfecti, vel officii humanitatis juſtam ejuſdem anſam præbet.*

XI. *In ſummis Imperantibus non ſtat pro ratione voluntas.*

XII. *Subditi Imperantis legem, utut de juſtitia ejuſdem dubium ſit, omninò acceptare & ſequi tenentur.*

EX HISTORIA JURIS CANONICI.

I. *ORigo Juris Canonici non à Chriſto, ſed ab Apoſtolis repetenda eſt; his tamen Canones, Apoſtolorum vulgò dicti, perperam velut authoribus adſcribuntur, utut fictitii non ſint.*

II. *Decretales verò Pontificum trium priorum Eccleſiæ Sæculorum ex ſola Iſidori Mercatoris collectione nobis proditæ, ac per plura Sæcula pro genuinis receptæ, falſitatis ac ſuppoſitionis multis ex argumentis meritò arguuntur; magnam tamen politiæ Eccleſiaſticæ viciſſitudinem, etiam quoad effectum Juris, induxerunt.*

III. *Decretum Gratiani, cui authoritatem legalem ex uſu & obſervantia aſſerimus, multa antiquæ diſciplinæ veſtigia etiamnum refert, ſed & novioris quaſi ſemina continet.*

IV. *Diſciplina Decretalium in multis novitia, Innocent. III.*

partim auctorem, partim inſtauratorem habet, Eccleſiæ haud inutilis, in Gallia tamen nonniſi cum ſervati Juris antiquioris temperamento recepta, & in hoc Eccleſiarum Gallicanarum ità decantata libertas potiori ex parte fundata eſt.

V. *Laicorum, ſive populi, ſive Principum in Electionibus Prælatorum Eccleſiæ concurſum, Canone nec Divino, nec Eccleſiaſtico tum adverſante, in Eccleſia præſertim Occidentali diu viguiſſe, indubitata Hiſtoriarum fides docet.*

VI. *Jus Regaliæ, utì modò Regibus in Gallia, ità olim in Germania Imperatoribus competebat: quod deinceps abdicatum facultas adminiſtrandi in Capitulis Cathedralibus ſubſecuta eſt.*

VII. *Ante Gregorium VII. â Pontifice dominium in temporalia Imperatorum & Regum aſſertum ſibi fuiſſe, ex Hiſtoriæ monumentis haud evincitur.*

VIII. *Introductio trituræ forenſis Sæculo XII. in Eccleſiam potiſſimùm invectæ Epiſcoporum authoritati latiùs anteà ad civiles uſque cauſas extenſæ magnam intulit imminutionem.*

IX. *Cruciatæ expeditiones ingens Eccleſiis emolumentum temporale, ſed nec minorem diſciplinæ Eccleſiaſticæ immutationem, utì & ſtatûs Politici alterationem invexerunt.*

X. *Inſtitutum Canonicorum in communi viventium ab Euſebio Vercellenſi, & Auguſtino Hipponenſi Epiſcopis prælibatum, feliciùs, & cum magno Eccleſiæ bono â Chrodogango Epiſcopo Metenſi propagatum uſque ad Sæculum circiter XI. duravit.*

XI. *Ejuſdem*

XI. *Ejuſdem diſſolutio majori diſciplinæ relaxationi, Beneficiorum erectioni, & diſtinctioni Canonicorum in Sæculares & Regulares tum modò inſtitutos, & ad communionem arctiùs retinendam votis præſertim paupertatis ligatos anſam dedit.*

XII. *Diſtinctio inter votum caſtitatis ſimplex & ſolenne non excedit Sæculum XII., neque hoc ante id temporis fuerat impedimentum matrimonii dirimens.*

EX JURE ECCLESIASTICO PUBLICO.

I. *EXiſtit in Eccleſia tanquam Republica Sacra verum Regimen Hierarchicum Divinitus inſtitutum.*

II. *Quod non eſt merè Monarchicum, ſed Ariſtocratiâ temperatum.*

III. *Summi Pontificis Primatus non ſolùm honoris, ſed & Juriſdictionis Jure Divino eſt conceſſus, & conſiſtit in complexu certorum Jurium illi ſoli præ aliis Epiſcopis propriorum & reſervatorum.*

IV. *Non tamen omnia ejus reſervata, quæ hodie recenſentur, ex inſtitutione Divinâ repetenda ſunt, ſed quædam, ſecundaria & acceſſoria inde dicta, ſucceſſu temporis, occaſione potiſſimùm falſarum Decretalium, ſub titulo cauſarum majorum eidem acceſſerunt.*

V. *Epiſcopi in Hierarchia Eccleſiaſtica Divinitus inſtituta poſt Summum Pontificem primi ſunt, quorum poteſtas regitiva immediatè â Chriſto derivatur, & concreditas ſibi Eccleſias nomine proprio & tanquam Principes ſive Hierarchæ â Chriſto conſtituti regunt.*

VI. *His rectè aſſeritur poteſtas diſpenſandi in Canonibus &*

Conſtitutionibus Apoſtolicis, niſi ea facultas in materia occurrente vel â Canone, vel â Conſuetudine Sedi Apoſtolicæ privativè reſervata oſtendatur.

VII. *Reliqui ordines, aut gradus Hierarchici inter Summum Pontificem & Epiſcopos intermedii, ùt Cardinalium Patriarcharum, Primatum, & Metropolitanorum Jure merè Eccleſiaſtico conſtituti ſunt.*

VIII. *Jus Legatos mittendi in exteras Provincias ac Diœceſes Epiſcoporum Summo Pontifici controverti haud poteſt: eorum tamen poteſtas, in immenſum ferè aucta, meritò acciſa fuit.*

IX. *Exemptiones Regularium ſequiori ævo introductæ ſe non extendunt ad functiones Hierarchicas, neque eos liberant â reverentia & charitate Epiſcopis debita; unde ad ſubſidium charitativum juſtis ex cauſis indictum tenentur.*

X. *Exemptio activa, ſive poteſtas quaſi Epiſcopalis recentiſſimæ diſciplinæ aut praxeos partus eſt, & ab inferioribus Prælatis cum ſeparato territorio ſpirituali nullâ præſcriptione acquiri poteſt.*

XI. *Collatio immediata Beneficiorum Eccleſiaſticorum Jure Divino ad Primatum Summi Pontificis non pertinet; indéque viciſſitudinibus, imò & conventionibus obnoxia, per Concordata Germaniæ meritò limitata fuit.*

XII. *His tanquam veris pactis nequit Summus Pontifex eo, quo aliis Conſtitutionibus Eccleſiaſticis, modo derogare. Conſuetudo tamen & præſcriptio, Ordinariis & Capitulis Germaniæ favorabilis, ſive quâ Jus Ordinariorum contra reſervationes Pontificias latiùs extenditur, iiſdem prævalet.*

XIII. *Sede*

XIII. *Sede Papali vacante nulla datur reſervatio menſium in Germania.*

XIV. *Annatæ vigore Concordatorum Summo Pontifici ſolvendæ abſque Simonia ab eodem exiguntur & recipiuntur.*

XV. *Tota Principum in Eccleſia & rebus ſacris poteſtas ſolo Protectionis & Advocatiæ jure concluditur.*

XVI. *Neque, quod plus lex Amicitiæ & concordiæ inter Sacerdotium & Imperium olim indulſerat, amplius & proprium Jus Imperii iiſdem competere evincit.*

XVII. *Imperatori Romanorum electo competit Jus primariarum precum ex antiqua conſuetudine, reſpectu Catholicorum abſque Indulto Pontificio haud exercendum, reſpectu Proteſtantium verò in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ modificatum; ad Dignitates tamen Electivas, præſertim Electivo-Confirmativas non extenditur.*

XVIII. *Excluſiva, quam Imperatores & Reges juſtis ex cauſis interponunt, ne certa perſona ad Summum Pontificatum evehatur, nec Juſtitiæ, nec Canonicæ Electionum libertati adverſatur.*

XIX. *Legem itidem Amortizationis, quæ multis in Regnis & Provinciis invaluit, injuſtitiæ, aut immunitatis Eccleſiaſticæ violatæ paſſim ream condemnare non audemus.*

XX. *Nec veluti ejuſdem immunitatis læſiva rectè arguuntur ſubſidia, quæ Eccleſiis & perſonis Eccleſiaſticis, ad ſublevandas publicas neceſſitates indicuntur, ſi conditiones in Concilio Lateranenſi & Conſtantienſi præſcriptæ obſerventur.*

EX JURE CANONICO PRIVATO.

I. *COnſtitutionibus Pontificiis opponi poteſt exceptio de non receptione vel non facta, vel non ſufficienti promulgatione;*

II. *Hæc Romæ duntaxat facta ad obligationem in univerſa Eccleſia inducendam nequaquam ſufficit.*

III. *Alienatio rerum Eccleſiaſticarum abſque ſolennitatibus etiam pro foro interno nulla eſt.*

IV. *Clerici hodie poſt erectionem Beneficiorum redituum ſuorum ſuperfluorum ſolo proſpectu Eccleſiæ acquiſitorum ſunt veri domini;*

V. *Nullâ tamen conſuetudine in conſcientia tuti redduntur, ut ad uſus profanos deſuper diſponere, aut teſtari iis liceat.*

VI. *Quanquam ea conſuetudo valeat, ut teſtamenta ad has cauſas condita nec impugnari, nec pro foro externo reſcindi poſſint.*

VII. *Minùs tuti ſunt in conſcientia Superiores & Collegia Regularia, ſi reditus ſuperfluos ad uſus pios & opera miſericordiæ non impendant.*

VIII. *Peculia Religioſorum cum voto paupertatis minùs convenire, plures Conſtitutiones Pontificiæ ſatìs oſtendunt.*

IX. *Congrua Parochorum, tanquam Miniſtrorum Eccleſiæ neceſſariorum, Juris Naturalis, Divini, Publici & Eccleſiaſtici eſt.*

X. *Decimæ propriè acceptæ non tam ex Jure Divino, quàm humano Eccleſiaſtico derivandæ ſunt.*

XI. *Quæ quàmvis ſpirituales intrinſecè non ſint, â Laicis tamen nec poſſideri, nec præſcribi poſſunt: ſed poſſeſſione immemorialis temporis in utroque foro tuti efficiuntur.*

XII. *Jus*

XII. *Jus percipiendi Decimas extraneo competens contra Parochum ad novales non extenditur.*

XIII. *Decimatoribus etiam laicis incumbit onus ſubſidiarium reparandi Eccleſias Parochiales, non tamen filiales.*

XIV. *Jus Patronatûs ſolo hodie titulo fundationis, dotationis, vel ædificationis Eccleſiarum acquiritur.*

XV. *Non excedit poteſtatem Epiſcoporum ſponſalium clandeſtinorum ſuis in Diœceſibus prohibitio, imò irritatio.*

EX JURE PUBLICO.

I. *JUS REFORMANDI Dominorum Territorialium pro regula, annus Decretorius verò pro exceptione accipiendus eſt.*

II. *Jus introducendi ſimultaneum innoxium, etiam publicum, inter Catholicos & Proteſtantes in Inſtrumento Pacis ademptum non eſt, uametſi omnes ſubditi in anno Decretorio fuiſſent d.verſæ Religioni addicti.*

III. *Poteſt Dominus Territorialis ſubditis diverſæ Religionis, qui in anno normali nec publicum, nec privatum ſuæ Religionis exercitium habuerunt, præfixo termino legali, etiam invitis & nolentibus, utut aliàs tranquillè viventibus, emigrationem injungere, & pœnâ ac vi repugnantes ejicere; tenentúrque emigrantes ob Religionem conſuetas decimationes ſolvere.*

IV. *Jus tamen tranſplantandi utì ſubditis mitius, ac Civitati ſeu Reipublicæ utilius, meritò Domino territoriali aſſeritur, ac ſæpiùs præplacet.*

V. *Autonomiam omnimodam & independentem uſum quoad ſacra ſubditis Proteſtantibus in Statuum Catholicorum Territoriis aſſerere, eſt ſtatum in ſtatu formare, neque eſt conveuienter Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ, multò mi-*

nùs dignè æmulâ Majeſtatis Superioritate Territoriali Statuum ſentire & loqui.

VI. *Inde Juriſdictio Eccleſiaſtica in Subditos Proteſtantes Dominis vel jam ante ſuſceptum regimen Catholicis, vel modò poſteà ad Religionem Catholicam reverſis competit.*

VII. *In Principes ac Subditos ad Religionem Catholicam reduces Juriſdictio Diœceſana cum omni ſpecie reviviſcit.*

VIII. *Si Princeps vel Dominus Territorialis A. C. addictus poſſit præcipere Subditis ſuis Catholicis dies pœnitentiales, eóſque cogere ad eoſdem cum Proteſtantibus concelebrandos, ſaltem quoad accidentia externa feriarum; non eſt, cur Principi Catholico denegetur poteſtas ſubditis ſuis A. C. addictis præcipiendi diebus feſtivis abſtinentiam ab operibus ſervilibus, præſertim ſtrepitoſis, maximè in locis mixtis.*

IX. *Conſtitutio & retentio Conſiſtoriorum quoad Subditos Proteſtantes in terris Principum Catholicorum non eſt abſolutæ neceſſitatis, ſed reſtricta ad poſſeſſionem in anno decretorio ab iis habitam, neutiquam tamen hoc in caſu excluſâ eorundem Principum inſpectione.*

X. *Sicut Principes per pactum ſubditis ultra poſſeſſionem anni Normalis exercitium Religionis ampliare; ità & ſubditi multò magìs ex pacto cum Domino Territoriali diſſentientis Religionis inito ad ſtrictiorem ejuſdem uſum ſe obligare poſſunt.*

XI. *Actores legitimi quoad gravamina Religionis contra Dominum Territorialem non ſunt, niſi ſubditi gravati.*

XII. *Religioſus vi Profeſſionis Religioſæ incapax redditus ſucceſſionis feudalis, Religionem Catholicam poſtea cum alia recepta in Imperio permutans non recuperat Jus ſuccedendi in feudo, licèt proximus agnatus exiſtat.*

XIII. *Origo*

XIII. *Origo Electorum Imperii non eſt â Pontifice derivanda, ſed ſucceſſivè per conſuetudinem ad eos privativè, excluſis reliquis Statibus, jus eligendi Imperatorem pervenit.*

XIV. *Præcedentia ſicut toti Ordini Eccleſiaſticorum Principum præ toto Ordine Sæcularium competit; ità nec ſingulis citra injuriam in dubium vocari poteſt.*

XV. *Superioritas Territorialis Statuum Imperii cum Juribus Comitialibus variis ex occaſionibus nata uſu ipſo crevit, & demum Pace Weſtphalicâ confirmata fuit.*

EX JURE CIVILI.

I. JUS CIVILE *Romanum in Germania ex mero recepto obligat, & hanc ipſam ſuî receptionem Juri Canonico in acceptis refert.*

II. *Unde in materia adiaphora in dubio, utrum Jus alteri prævaleat, pro Jure Canonico potior eſt præſumptio.*

III. *Transactio ob læſionem enormem retractari nequit.*

IV. *Sicut nec contra laudum Arbitri compromiſſarii reductio ad arbitrium boni viri locum habet.*

V. *Præſcriptio ſuis veſtita requiſitis in utroque foro tutum reddit præſcribentem.*

VI. *Mala fides Authoris non nocet Succeſſori particulari, nec univerſali mediato.*

VII. *Suceſſori autem univerſali immediato ità nocet, ut nec acceſſione temporis uti, nec præſcriptionem longi temporis â ſeipſo inchoare poſſit: ſecus tamen eſt dicendum de præſcriptione longiſſimi temporis, ubi non nocet mala fides Authoris, neque in ea error Juris attenditur.*

VIII. *Actionibus perſonalibus, ùt condictioni ex mutuo indefinitè*

contracto, in utroque Jure præſcribitur 30. *annis etiam cum ſcientia Juris alieni.*

IX. *Præſcriptionis immemorialis non eſt major vis in acquirendo, quàm & longiſſimi temporis, ſed fundat præſumptionem Juris & de Jure tituli de mundo melioris, quæ probationem in contrarium nullam admittit.*

X. *Commodatum, quamvìs commodans re commodatâ ipſe indigeat, ante finitum tempus non revocatur.*

XI. *Donatio inter vivos regulariter irrevocabilis, ob inſperatam tamen liberorum ſupernaſcentiam revocari poteſt, etiamſi Eccleſiæ, aut alteri piæ cauſæ facta ſit.*

XII. *Teſtamentum ex conditione impoſſibili adjecta non vitiatur.*

EX PROCESSU JUDICIARIO.

I. J*Uramentum calumniæ, licèt â parte exigatur, â Judice ſubin remitti poteſt, neque, ſi præſtitum fuerit, liberat ab expenſis.*

II. *Judicium petitorium cum poſſeſſorio non tantùm adipiſcendæ & recuperandæ, ſed & retinendæ poſſeſſionis cumulari poſſe, nihil repugnat.*

II'. *Remedium ſpolii, ùtùt ſucceſſivè latiùs extenſum, neque per modum actionis, neque per modum exceptionis contra tertium bonæ fidei poſſeſſorem intentari poteſt.*

IV. *In colliſione poſſeſſionis ex una, & præſumptionis pro altera parte, poſſeſſori etiam longi temporis onus probandi incumbit.*

V. *Confeſſio qualificata circa unum idémque factum dividi nequit, ſed vel tota rejici, vel tota acceptari debet.*

VI. *Utì affirmativa, ità & negativa, ſi hæc ſit fundamentum intentionis de ſe dubium, & â parte adverſa contradictum, probari debet.*

VII. *Ju-*

VII. *Juramentum Judiciale, ſi terminus probatorius præfixus non ſit, uſque ad concluſionem in cauſa, & uſque â litis initio â parte parti deferri poteſt, tametſi nihil adhuc probatum fuerit, nec præſumptione deferens juvetur; ſemel delatum & acceptatum nequit â parte deferente revocari.*

VIII. *Cauſa Juramento voluntario deciſa nec prætextu perjurii, nec Inſtrumentorum de novo repertorum retractari poteſt; non autem eandem habet firmitatem cauſa juramento neceſſario deciſa.*

IX. *Quæcunque exceptio peremptoria in continenti probabilis etiam ante litis conteſtationem opponi poteſt; neque qui eandem ſive ante, ſive poſt litis conteſtationem opponit, intentionem partis adverſæ ſimpliciter fateri cenſetur.*

X. *Quamvìs regula ſit, quòd in Judicio Civili Judex non imploratus non impertiatur ſuum officium; exceptio tamen, impertiendi hoc motu proprio, ſæpè vincit regulam; magnæque artis eſt dignoſcere, ubi is hoc ſuum officium poſſit, & ubi hoc etiam teneatur impertiri juxta illud:* Non omnia, quæ Judicis poteſtati relinquuntur, neceſſitati Juris ſubjiciuntur.

XI. *Judex nequit ſecundùm ſententiam minùs probabilem judicare; poteſt tamen Advocatus pro eadem poſtulare.*

XII. *Res judicata habet etiam locum in foro interno conſcientiæ, licèt vincens in Judicio certò poſtmodùm cognoſcat, ſe debitorem fuiſſe; dummodo bonâ fide litigaverit.*

EX JURE FEUDALI.

I. I*N Feudis Germaniæ, præcipuè Eccleſiaſticis, non primariò ad Jus Feudale Longobardicum, ſed ad tenorem litterarum Inveſtituræ, ad mores feudorum*

proprios, & ordinationes ac praxes ſingularum Curiarum feudalium reſpiciendum eſt.

II. *Status feudalis in Germania nedum ſimpliciter non incompatibilis eſt cum ſtatu Eccleſiaſtico;*

III. *Sed & conjunctio Superioritatis Territorialis & Regalium cum Jure Diœceſano ſub nexu feudali ibidem eſt utilis Eccleſiæ, & Imperio.*

IV. *Baculus & Annulus, quibus olim inveſtiri ſolebant Epiſcopi, neutiquam ſymbola erant conceſſionis Epiſcopatûs quoad ſpiritualia, ſed tantùm quoad temporalia, ſive Regalia; neque per abdicationem hujus Juris Inveſtituræ Imperatoribus quidquam de ſua legitima poteſtate decerptum fuit.*

V. *Principes Eccleſiaſtici Germaniæ Feudorum Regalium ad Principatus pertinentium non tantùm provaſalli, ſed Vaſalli principales ſunt, adeóque & veri propriique Principes æquè, ac Principes ſæculares.*

VI. *Felonia tamen â Principe Eccleſiaſtico commiſſa non nocet Eccleſiæ quoad privationem Regalium.*

VII. *Feuda Eccleſiaſtica in Germania ſunt quidem magna ex parte feuda oblata, non tamen idcircò impropria ſunt aut promiſcua, in quibus ſucceſſio fœminarum regulariter locum habeat.*

VIII. *Utut Principes Imperii Eccleſiaſtici magnâ agant poteſtate circa bona Eccleſiaſtica, hæc tamen de novo ſine conſenſu Capituli in feudum dare nequeunt.*

IX. *Amplior autem eſt eorum poteſtas in rebus infeudari ſolitis & ad Eccleſiam reverſis denuò in feudum concedendis, ad nullam ſolennitatem reſtricta; Capitulum tamen certis in caſibus legitimus eſt contradictor.*

X. Cle-

X. *Clerici ſive Canonici Sæculares in Germania regulariter ſunt capaces ſucceſſionis in feudis propriis & Gentilitiis.*

XI. *Filius naturalis per ſubſequens matrimonium Parentum mediatum legitimatus in majoratu & Juribus primogenituræ præfertur fratri, qui poſt ipſum, licèt ex primo legitimo matrimonio ante ipſum, natus eſt.*

XII. *Feuda Eccleſiaſtica non pertinent in Imperio ad forum Eccleſiaſticum, neque in prima, neque in ſecunda inſtantia.*

EX JURE CRIMINALI POTISSIMUM ECCLESIASTICO.

I. P*Roceſſus Inquiſitorius hodie eſt ordinarius; unde in criminalibus non valet illud: ubi nullus Actor, nullus eſt Judex. Ex officio tamen ad Inquiſitionem ſpecialem procedi nequit, niſi priùs conſtet de diffamatione inquirendi, aut de eo ſufficientia habeantur indicia.*

II. *Pœna capitis in nullum crimen, nec in homicidium doloſum, Jure Divino in Nova Lege eſt ſtatuta; cujus proin gratiam facere ex gravi cauſa Princeps non prohibetur.*

III. *Immunitas fori Clericorum in cauſis criminalibus Juris Divini non eſt, ſed beneficio Principum ex cauſis publicis conceſſa varias ſubiit viciſſitudines pro temporum & locorum diverſitate; in Germania Legibus Imperatoriis adhuc ſecundùm omnem ferè latitudinem Juris Canonici eſt adoptata ac firmata.*

IV. *De Jure ſcripto Clericus, niſi incorrigibilis declaratus, degradari, & Curiæ Sæculari extradi nequit, niſi in caſibus exceptis: quæ exceptio ultra Jus ſcriptum etiam de conſuetudine extendi poteſt.*

V. *Epi-*

V. *Epiſcopi ſeu Principes Imperii extra delictum feloniæ & ultra privationem Regalium in cauſis criminalibus non ſubjacent juriſdictioni Imperatoris & Imperii.*

VI. *Jus Aſyli non tam ex Jure Divino, quàm ex interceſſionibus primùm Epiſcoporum originem trahens, ac Legibus Imperatorum ſtabilitum ſucceſſu temporis per leges anteà civiles, ac deinceps per Conſtitutiones ipſas Pontificias variis exceptionibus ſalubriter eſt coarctatum.*

VII. *Homicidium animo præmeditato committens non gaudet Aſylo.*

VIII. *Eodem gaudens ad ſpontè exeundum falſâ promiſſione inductus non amittit immunitatem.*

IX. *Rectores Eccleſiarum milites transfugas aut deſertores ad Eccleſias confugientes non poſſunt juvare ad fugam, neque quoſcunque delinquentes confugas dimittere, poſtquàm deſuper â Judice Criminali interpellati ſunt.*

X. *An autem crimen ſit exceptum, Judicis Eccleſiaſtici, imò Epiſcopi verè talis privativè eſt cognoſcere, & dijudicare.*

XI. *Excommunicatio, quæ plures effectus civiles ſibi meritò adjunctos habet, nonniſi ſobriè in Reges præſertim, ac Principes, imò rariſſimè ferenda eſt.*

XII. *Excommunicatio â Jure, ac latæ quidem ſententiæ, recentioris eſt diſciplinæ; quam tamen incurrentes non ſunt vitandi, niſi publicè fuerint denuntiati, aut notorii Clericorum percuſſores.*

O. A. M. D. G.